

GRANI LICINIANI

QUAE SUPERSUNT

RECENSUIT ET COMMENTARIO INSTRUXIT

GUIDO CAMOZZI.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA
FOROCORNELIENSI
APUD IGNATIUM GALEATI ET FIL.

MDCCCC.

DOCTISSIMIS . VIRIS

ACHILLI . COEN

FELICI . RAMORINO

GRATO . ET . MEMORI . ANIMO

GUIDO . CAMOZZI

D . D

PRAEFATIO.

Grani Liciniani quae supersunt a Georgio Henrico Pertz, ut inter omnes constat, detecta, a filio Karolo anno MDCCCLVII edita[1] cum nonnullis Mommseni et Bernaysii coniecturis, statim ad se doctorum virorum oculos et curas mirum in modum converterunt. Non solum enim viginti diebus post Pertzianum opus editum *Philologorum Bonnensium Heptas* alteram iam Liciniani recensionem comparatam habuit paucisque post mensibus eam lectoribus tradidit[2], sed I. N. Madvig, C. M. Francken, G. Linker, Kar. Keil, alii[3], cum multa de Grani aetate atque de eius operis indole et natura accura-

---

[1] *Gai Grani Liciniani annalium quae supersunt ex codice ter scripto Musei Britannici Londinensis nunc primum edidit Kar. Aug. Frid. Pertz phil. dr. Accedit tabula* (Berolini typis et impensis Georgii Reimer MDCCCLVII).

[2] *Grani Liciniani quae supersunt emendatiora edidit philologorum Bonnensium Heptas* (Lipsiae in aed. Teubn. MDCCCLVIII).

[3] V. apud Engelmannum et passim in commentario meo.

tissime disputabant, tum sive ad emendandos sive ad supplendos complures editionis Bonnensis locos, novas coniecturas afferebant. Attamen haec tot illustrium grammaticorum in Licinianum studia, ut cito accensa, sic, tamquam flamma de stipula, brevi exstincta sunt. Nam iam ab anno MDCCCLXIV, quo B. ten Brink « *Liciniani fragmentum de Flexuntibus* » retractavit [1], usque ad haec tempora [2], quibus Oscar Dieckmann disputationem suam « *de Grani Liciniani fontibus et auctoritate* » emisit [3], nemo fuit qui in ullam Licinianeam quaestionem dedita opera incumberet aut quidquam coniceret, quo textus olim a Bonnensibus datus iuvari posset. Evanuisse dixeris fere omnino a memoria hominum Licinianus, cum nomen eius per triginta circiter annos apud Mommsenum tantum paucosque alios Romanarum rerum investigatores appareat, qui libenter, nec semper caute, hoc novo notitiarum fonte usi sunt.

Cum res ita se haberet, quid ipse in hoc genere possem temptare volui novamque eorum quae ex Grani opere supersunt editionem comparare, non ignarus quidem nec difficultatis incepti nec mearum

---

[1] In « *Philologus* » Vol. 21, p. 165-166.

[2] Praeclara illa Madvigii disputatio « *Ueber den Granius Licinianus* », quae est in libro eius « *Kleine philol. Schriften* » inscripto (p. 391-408 [1875]), ut ex ipsius Madvigii adnotatione colligimus, conscripta est anno MDCCCLVII atque primum edita in « *Abhandl. d. Kön. dän. Gesellsh. d. Wiss.* [dec. 1857] ». —

[3] Berolini 1896 apud Calvary et C. (*Berliner Stud. f. klass. Philol. u. Arch.* B. XVI, Heft. 3).

virium exiguitatis, sed sperans tamen aliqua ex parte fortasse non vanum omnino et inanem laborem meum fore. Ac quidem si codicem ipsum Londinensem inspicere non potui[1], sed, ut iam Bonnenses edd., ea tantum « *codicis manu scripti imagine* »[2] quam minor Pertzius proposuit, usus sum; si textum a Bonnensibus datum paucis admodum locis suppletum aut mutatum exhibui; si denique non omnibus quae apud Licinianum incerta et obscura se praebent, lumen aliquod attulisse confido; tamen, cum adhibuerim ac diligenter perpenderim in duplici commentario quo has Licinianeas reliquias instruxi, quidquid ad eas sive supplendas sive emendandas sive illustrandas eruditi viri usque ad hoc tempus disputaverunt aut coniecerunt, nemo certe aequus iudex negabit me expolitiorem materiam praebuisse facilioremque viam quodammodo aperuisse si quis posthac in scriptorem tam diu neglectum novas aliquas curas conferre velit. Iuvabit praeterea me primum, post textum a Bonnensibus datum, res a Liciniano traditas interpretando explicavisse; nam quod attinet ad commentarium, quo Karolus Pertz editionem principem illustrare conatus est, adeo id obsolevit, ut iam fere nullam utilitatem afferre possit.

[1] Cum ad restituendam antiquam scripturam olim cultello diligentissime erasam ammonius sulphuratus adhibitus esset, P. De Lagarde (*Zu Granius Licinianus* in: *Zeitschr. f. d. Gymnasialw.* 12 *Jahrg.* [1858] p. 341-343, 714-717) ita codicem afflictum esse affirmavit, ut post Pertzii collationem fere nihil iam in eo legi posset. Non desunt tamen qui de hac re dubitent.

[2] Pertzii *praef.* p. XII.

His, quae fortasse praetereunda non erant, expositis, de Grani Liciniani [1] aetate ac de operis eius indole et fontibus mihi disserendum esset, nisi id accurate fecissem ea disputatione quae nuper edita est in « *Rivista di Filologia* » (Vol. XXVIII, fasc. II, pag. 268 et seqq. Torino Loescher 1900). Cui cum nihil habeam quod nunc addere oporteat, restat ut paucis doceam de ratione ac via quam in his Liciniani reliquiis recensendis atque illustrandis secutus sum.

Bonnensium editionis, ut supra dixi, in hac mea comparanda accuratissimam rationem habui, ac merito quidem id me fecisse peritissimus quisque existimator concedet, quoniam Bonnenses et Licinianei codicis m. s. verum foliorum ordinem restituerunt et textum a Pertzio editum, rudem etiam tum inconditamque materiam, quantum fieri potuit, disposuerunt ac nova quadam luce collustraverunt. Non desunt tamen loci ubi, sive codicis litteris collatis sive rerum narratarum sententia perspecta, a Bonnensium lectione discedendum esse existimavi. Interdum etiam factum est, ut quod Bonnenses insanabile iudicassent ac plane neglexissent, id ego, aliorum aliquam probabilem coniecturam secutus, ad clariorem quandam sententiam redigerem atque in textum reciperem. Contra, si quid Bonnenses perperam in textu scripsisse mihi visi sunt neque habui

---

[1] Praenomen « *Gai* » incertissimum est (vid. disp. nostram in « *Rivista di Fil.* » l. m. p. 271 et seqq.).

quod pro eorum lectione recte substituerem, punctis lacunam notavi. Quibus in rebus supervacaneum est dicere me summam curam cautionemque adhibuisse. Ceterum, Bonnensium lectiones, non multas eas quidem nec semper magni momenti, quas textu exclusi, religiose servavi in adnotatione critica, ubi cum nonnullis mei ipsius coniecturis, quidquid ad Liciniani reliquias emendandas a doctis viris excogitatum ac propositum est, diligens lector promptum et paratum inveniet.

Quod ad enarrationem attinet rerum ipsarum quae apud Licinianum leguntur, ne in hac parte laboris nostri absolvenda longiores fuisse videamur, animadvertendum est tantis difficultatibus plerumque eas se implicatas praebere, ut, nisi accuratissime illustrentur, vix intellegi possint. Nec mirum: nam hae Licinianeae reliquiae — quae particulae sunt epitomes cuiusdam historicae extrema (ut mea quidem sententia est) Romanarum litterarum aetate maximam partem ex Annalibus Livii conflatae — non solum corruptela codicis ter scripti unde eas habemus, gravissime laborant, sed etiam incredibili neglegentia et imperitia scriptoris ipsius, qui aut tempora confundit, aut facta transponit, aut tam inepta brevitate auctorem suum contrahit, ut saepe obscura potius canere quam historiam narrare videatur. Quibus vitiis eo magis dolendum est, quod hae Liciniani reliquiae — si librum XXVI excipias, de quo nihil certi affirmari potest — res gestas ab u. c. 591-676 complectuntur, atque ita fere inde incipiunt

unde Livii narratio nobis deesse coepit. Igitur adnotationibus meis magno opere studui, ut ex tam abruptis ruinis quidquid erui poterat investigaretur atque in medio poneretur; temporum rationem, quotienscumque opus fuit, restitui; mutila et decurtata, aliorum veterum scriptorum verbis allatis, supplevi; involuta explicavi; si quae nova aut a ceteris antiquitatis monumentis discrepantia mihi se obtulerunt, notavi ac diligenter excussi. Ex litteratissimis huius aetatis hominibus, qui res populi Romani retractaverunt, Mommsenum plerumque in commentario meo condendo gravissimum auctorem habui, interdum tamen etiam alios secutus sum, qui suo quisque loco memorantur.

Ordo foliorum quo textum exhibui est ille certissimus, quem B. Heptas in codicem m. s. restituendum esse existimavit; eorum tamen pristinos numeros, ut lectoris commodo inservirem, cum paginis Pertzianae et Bonnensis editionis compositos, huius meae in marginibus semper indicavi.

Ticini kal. Iun. a. MDCCCC.

G. C.

NOTAE EXPLICANTUR.

Littera A. textus indicatur qui priore columna in singulis codicis paginis continetur.

» B. » » columna altera » »

P. = Georgius Henricus Pertz
p. = Carolus Pertz
M. = Theodorus Mommsen
Bern. = Iacobus Bernays
B. = Edd. Bonnenses.

Omnes codicis litteras quas pro certo indagare minus Carolo Pertz contigit, minoribus litteris exprimendas curavi, quod in edendo codice et ipse Pertzius fecit.

LIB. XXVI (?).

Fol. XI r., pag. 29 p., pag. 3 B.

. . . .

. . . .

Nihil quod cohaereat in hac pagina legi potest, quae solum exhibet litteras et syllabas inter se disiunctas aut rara vocabula modo mutila modo corrupta.

B. cod. versus 23-24 praebent: RHIICRTILLUM...SAT.... (hoc loco membrana perforata est; tres aut quattuor litterae exciderunt p.) ULESATQUA.....; p. legit: *Gaium Atilium... sat.... consules atque* vel *C. Atilium et M. Fabium consules* (*). B. locum neglexerunt. Heerwagenus (*De Licin. fr. Ann. lib. XXVI*, Norimbergae, typis Campeanis, 1858, p. 10): *Atilium* (v. infra). Codicis litterae melius videntur exhibere R[U]TILIUM.

B. *Atilium*] Pertzius conicit hic de C. Atilio Bulbo, anno u. 509 consule cum M. Fabio Buteone, mentionem esse factam, sed liberius, cum ne id quidem probabile sit quod sibi ille persuasit, litteras quae paulo infra occurrunt (Fol. XI v. A 8) « *C. Atili* » nomen praebere. Heerwagenus (l. m.) hunc Atilium, M. Atilium Regulum esse conclusit, eiusque mentione Licinianum revocatum esse ad alios Romanos homines, qui eodem modo pro patria se devovissent. Hoc folio igitur vir doctus contendit res primo bello Punico gestas contineri; quod si firmis argumentis statuere possemus, maior fieret suspicio in quam alia de causa venimus, i. e. falso hunc librum numero XXVI pro XVI signatum esse; nam cum in libro XXVIII iam anno 591 res gestas Licinianus exposuisset, fieri non potuit, ut duorum circiter librorum spatio comprehenderet historiam, quamvis abrupta ea esset et mutila, annorum fere centum, quibus tot tantaeque res factae sunt, cum non minus octo libris ei opus fuisset, ut narraret quae ab anno 591 acciderunt usque ad annum 676.

(*) Ex Pertzii editione lectiones tantum utiles, ut ita dicam, afferam, aut eas quae, etsi falsae sunt, tamen ad alias probabiliores coniecturas ansam praebent.

LIB. XXVI (?).

Fol. XI v., pag. 29-30 p., p. 5 B.

A. .... animis hostem in pugna acerrima fregerunt, semet etiam devovebant ut in .... hostibus immisit .... vocabat ad consilium commune capiendum ac iunct........ vero plurimi auctores omittebant ..... nominabant.

De ordinibus et nominibus et numeris .... armisque

B. militum iam in | prioribus libris dixi. verum de equitibus non omittam, quos Tarquinius ita constituit, ut priores equites binos equos in proelium ducerent .... Castoris et Pollucis simulacra σειραίους equos habent nullos .... quos Spartiatae ἀρίμαντας et quidam ἁμίππους .... alii καλλίππους appellant. flexuntes a genere .... quod .... vocabant ..... ἐφίππιον ....

A. Margo exterior avulsus est, ita ut duae vel tres litterae priores desiderentur; linea 18ma et 19ma, olim diremptae, male conglutinatae sunt, quare, membrana nunc illo in loco complicata, apices iam iam distingui fere non possunt; lineae 21-24 perforatae sunt p. — *in pugna acerrima*] IN ... NACERRIMA legitur in Ms.; *impetu acerrimo* p. et B. — *semet etiam*] p. addit *ipsos*. — *devovebant*] B.: *vovebant* p. — *ut in .... hostibus immisit*] p. sic corrupti et lacunosi loci partem censuit suppleri posse: .... *ceteri idem ius < iurandum praestitere >. Gaius Atilius ...... is semet ipsum hostibus inmisit.* — *vocabat*] inter *inmisit* et *vocabat* p. rimari sibi visus est: .... *cives se ..... intraverunt in .... quos imperium poscebat* (*poscebat* pro *vocabat*). Bonn. coniciunt in adnotatione: *imperi socios convocabant.* — *iunct .....*] *iunctis copiis .... equites* B.; *iuncta corona ..... equites* p. — *omittebant*] *omittebant, nec eos* p. — Heerwagenus (l. m.) totum locum sic restituere conatus est: *Saepe consules atque duces magnis animis hostem instantem acerrime reiecerunt; semet etiam ipsi devovebant, ut in cladem hostium verteret sua mors ac vi eam petebant imperi idem ius rati. Uti P. Decius Mus Latino bello cum dis se manibus devovisset, equum hostibus inmisit. Accepimus ut cives senes, ubi Galli urbem intraverunt, in suis aedibus se devoverint. Trecenti vero olim in Sicilia obierunt mortem, quos imperium tribuni evocaverat ad consilium in commune capiendum. Tribuno adiunctum coronae decus gramineae: quis fuisset plurimi dicere auctores mittebant, Caedicium nominabant alii.* — *et nuneris*] *nume-*

ris que < *tribuum* > p. — *armisque*] conicit Madvigius (loc. m. p. 404 in a dn.); *atque* p. et B.

B. *Prioribus*] p. et sic procul dubio in cod.; *superioribus* B. — *ita constituit, ut*] p. Haec lectio cum litteris codicis magis nitatur atqu e sensum meliorem praebeat, praeferenda est Bonnensium l. *duplicavit ita ut* (cf. Heerwag. o. m. p. 3-4). — ....] in litteris E.... IDIIELSOSDICET, quas hoc loco codex praebet (B. 9, 10), Robertus Unger in epistula cum B. edd. communicata (v. Bonn. praef. p. XXII) legi posse existimavit: «*et equites celsos dixerunt.*» — σειραίους] cum Heerwag. (l. m. p. 7) et B. ten Brink (*Licin. frag. de Flexuntibus retractatum,* Philol. vol. XXI [1864] p. 165-166); SIRIOS cod. et p.;... B. — ..... *quos Spartiatae*] cod.;.... *Spartiatae* B.; *quamvis sani* (sic) *admonuisse* ... *scio quos Spartiatae* p. — ἀρίμαντας] ten Brink (l. m.); ARNIDACI ms. et p.; ΑΡΝΙΔΑΣ B. in textu, sed adnot.: *forsitan huc pertineat schol. Aristoph. Lys. 453* λόχοι γὰρ οὐκ εἰσὶ τέτταρες ἐν Λακεδαιμονίᾳ, ἀλλὰ ἕ, Ἔδωλος, Σίνις, Ἀρίμας κτλ. — ἀμίππους] ἀνίππους Ms.; *scio quod Spartiatae* ἀνίππους Mich. Flemisch in *Archiv. f. lat. Lexikog. etc.* herausg. v. Ed. Wölfflin XI vol., pag. 266. — ....] *eos dicebant* B.; *ac* δίμαχας conicit ten Brink. — *Alii*] fortasse *at alii* vel *et alii* a corruptissimo NATALI quod ms. exhibet. — *appellant*] ten Brink; καλλίππους. *appellat* ms.; καλλίππους. *appellati flexuntes* B.; καλλίππους· *appellat* (subaudi *Tarquinius*) Heerwag.; R. Unger (l. m.) totum hunc locum legere voluit ita: *quos Spartiatae, Amyclaei et quidam alii* ἱππαστὰς, δίμαχας, καλλίππους *appellant.* — ......] PNIIDILIUM cod.; *pensilium* B.; *textilium* Heerwagenus; *pensilium* < *corrigiarum* > ten Brink; R. Unger (l. m.) proposuit: « *flexutes* (sic) *a genere puerilium, quos Troiam vocabant, ludorum, quoniam ephippion iuvenes militares (ducebant)*; cf. Suidam ἐφίππιον ἀγώνισμα ἐφ' ἵππων τρεχόντων.

A. ....*animis hostem — nominabant*] Unum tantum de hoc loco adfirmari posse videtur, i. e. Liciniano, sive alicuius magnanimi ducis mentione facta, sive, quod probabilius est, aliquibus novis allatis (praeter ea quae iam «*prioribus libris*» exposuerat), de Romanorum militia, oblatam esse occasionem, ut ad memoriam lectoris res praeteritorum temporum evocaret. Quod autem censet ten Brink iis verbis quae sunt in codice ab '*iunct*....' usque ad '*nominabant*' iam Licinianum locutum esse de equitibus qui binis equis instructi essent, nemo sane probabit; non enim idoneum transitum tum haberemus ad ea quae sequuntur, sed potius falsam quandam sententiarum consecutionem. Nam statim post enuntiatum: ... *ac iuncti corrigiis antea equi duo: hos plurimi auctores mittebant vel modo nominabant,* vix dixerit quisquam: *de ordinibus* etc. *satis dixi, verum de equitibus non omittam quos Tarquinius ita explevit, ut priores milites binos equos in proelium ducerent.* — *devovebant*] Manifesto in animo scriptoris est *devotio* illa, qua vel aliquis civis pro patriae salute, vel pro salute exercitus aliquis imperator, Diis manibus caput suum consecrabat. Huiusmodi devotionis apud Romanos exemplum primus praebuit Curtius (Liv. VII, 6), cum armatus equo insidens se in

voraginem immisit; post eum senes illi senatores memorantur, qui post cladem Alliensem (Liv. V, 41) ita effecerunt, ut a Gallis victoribus interficerentur; sed omnium eorum qui pro patria se devoverunt duo clarissimi sunt Decii, pater et filius (Liv. VIII, 9; X, 28, 29), quorum alter Latino, alter Samnitico bello, ut victoriam suo exercitui compararet in confertissimam hostium aciem armatum se immisit: ac procul dubio hos Decios hic in animo habuit Licinianus.

B. Hirschfeldius (apud Dieckmannum op. m. in adn. p. 13) censet hoc libro XXVI, quo res annis 571-581 gestae narrantur, Licinianum memorasse Catonis orationem qua senatui persuasit *ut plura aera equestria fierent,* atque hac oratione ei oblatam esse occasionem, ut hunc de ordinibus equestribus a Tarquinio renovatis excursum insereret. — *in prioribus libris*] His et aliis huiusmodi locutionibus utitur haud raro epitomator quasi sit plane suus (cfr. fol. XI v. B *ut mox ordine indicabo,*fol. VI r. B *nec opplendae sunt huiusmodi cognitionibus chartulae* etc. V. Madvigium l. m. p. 403). -- *ita constituit ut priores — ducerent*] Sic recte legi censeo, adversante Heerwageno, qui conicit (o. m. p. 4) « *non omittam quod Tarquinius fuit auctor ut priores* etc. » quamquam ei assentior Licinianum hoc loco de duplicatis equitum centuriis loqui non voluisse, cum res esset omnibus nota, sed hoc tantum notare, binos equos militibus priorum centuriarum datos esse. Accuratior tamen et clarior scriptor fuisset si post «*ducerent*» addidisset «*posteriores non item* (cfr. Liv. 1, 36). — *Castoris et Pollucis* — καλλίππους] Haec verba, ita ut nunc leguntur (codicem enim Pertzius hic fortasse non bene rimatus est), nullum sensum praebent; nihilominus fieri potest ut divinemus quid Licinianus addere voluerit. Cum de more, Tarquinii regis temporibus omnino Romanis novo, ageret, scriptor necessitate quadam coactus sibi videri debuit, ut diceret unde mos ille Romam venisset, quique populi eum iam accepissent. Codicis litteris EACO . NI IRFESDINE (fortasse *ea consuetudine* legendum est) haec coniectura satis niti videtur. Itaque sensum loci aut hunc aut non multum ab hoc diversum esse crediderim: Haec consuetudo, quam apud aliquos populos barbaros invenimus (apud Numidas a Livio XXIII, 29, 5 memoratos, *quibus desultorum in modum binos trahentibus equos inter acerrimam saepe pugnam in recentem equum ex fesso armatis transultare mos est;* apud Sarmatas et Quados de quibus v. Amm. Marcell. XVIII, 12), in Italia Tarentinorum erat (v. Liv. XXXV, 28, 8: *equites* (in Philopoemenis exercitu) *quos Tarentinos vocabant binos secum trahentes equos;* v. etiam CAVEDONI: *Riscontri numismatici concernenti i frammenti degli Annali di Liciniano,* in Boll. Arch. Napol. N. S. 1858 n. 142), eaque Castoris et Pollucis mors vitaque alterna quodammodo adumbrari videbatur (cf. Hygin. fab. LXXX), quamquam in simulacris singulis equis Διόσκουροι insiden-

tes finguntur. — σειραίους] Sic Heerwagenus et ten Brink. Graecum vocabulum, primo litteris Latinis transcriptum (SIREOS), potuit a scriba indocto in SIRIOS mutari; *equos* σειραίους = *equos funales* (cf. Soph. Elect. 722); hic vero: « *equos loris ab equitibus ductos.* » — ἁμίππους] apud Thucydidem (V, 57) et Xenophontem (Hell. 7, 5, 23) pedites pari numero equitum adiunctos, ita ut singuli a singulis equitibus in pugna defendantur; hic « *equites binis equis instructos* » ut apud Pollucem (Onomast. 1, 10, 31) legimus. Cf. etiam. Harpocr. B. A. 205. — *flexuntes*] Hoc vocabulum (*flexutes* in *flexuntes* mutandum est) invenimus apud Plinium (N. H. XXXIII, 2, 35) et Servium (ad Verg. Aen. IX, 606), qui tamen non dicunt hoc nomine appellatos esse equites binis equis instructos. Hesychius haec dicit: φλεξεντίης (lege φλεξεντίς aut φλεξέντεις) ἱππικὴ τάξις παρὰ Ῥωμαίοις; contra apud Paulum Diaconum (*Fest. Exc.* ed. Müll. p. 221) equites binis equis instructi etiam apud Romanos memorantur, sed vocabulum *flexuntes* non occurrit. Lectionem *flexuntes* in cod. Liciniani rectam quidem esse censeo, sed unde originem ducat restat ut sciamus; nam quae Licinianus ad eam explicandam addit incredibili modo corrupta sunt. B. ten Brink proposuit: *Flexuntes a genere pensilium corrigiarum vocabant veteres*, sed hoc modo « *quod* » ante « *vocabat* » neglegitur, cum in codice perspicuum sit, atque ad nomen rei unde « *flexuntes* » originem ducit, uti videtur, referendum. Heerwagenus ad locum explicandum in eas difficultates delabitur, ex quibus nihil certi aut probabile elicere videatur. Recte is quidem censet nomen rei unde *flexuntes* equites binis equis instructi appellati sint, in litteris REGUM latere, sed, mea sententia, valde errat cum obscurum REGUM in FLEGUM obscurissimum mutet. « *Flegum!* ipse ait Heerwagenus, *quis audivit unquam hanc vocem?* » atque eam ita illustrare conatur: « *Quum flexuntes participii futuri formam verbi* φλέγειν *tam aperte prae se ferat, vix ut dubitari de eo possit, nescio an flegum* (*similiter ac* « *vivus* » *a* « *vivendo* », « *mergus* » *a* « *mergendo* », « *iugum* » *a* « *iugando* ») *sic ab etymo* φλέγειν *formatum sit, ut idem significet quod participium praesentis* φλέγον. *Erat igitur textilium quoddam genus praeter cetera fulgens, quibus flexuntes quum equos suos insternere solerent, indidem etiam nomen duxerunt.* Longe alia mihi de hac re sententia est, quamquam mihi non tantum tribuo ut rem acu tangere sperem: Licinianum enim censeo originem vocabuli « *flexuntes* » duxisse ab aliqua re quae equitum binis equis instructorum, atque eorum tantum, necessario propria esset, a loro illo, sive habena, qua alter equus ab equite regebatur, vel etiam fortasse ab illa singulari peritia qua opus erat, ut eques in proelio binos equos facile circumageret. Itaque in litteris REGUM, FLEXUM quam FLEGUM legere malim. Attamen Heerwageni coniecturam, qua totum hunc locum restituere sibi visus est, referre non alienum existima-

vimus: ... *verum de equitibus non omittam, quod Tarquinius fuit auctor, ut priores equites binos equos in proelium ducerent. Eam consuetudinem quidam negant Corintho in Italiam venisse; nec Graecos ea usos. Licet confirmare hoc, quod Amyclis Castoris et Pollucis simulacra siraeos equos habent nullos. Satis habeo antiqui illius fani admonuisse, nam Dioscuros statuariae artifices quidam* ἀνίππους *fingebant, alii* καλλίππους. *Appellat flexuntes a genere textilium, quod flegum vocabant; nam antequam ephippio adsuevit militaris licentia....* Addemus in fine hoc equitatus genus multo ante Ciceronis et Livii aetatem obsolevisse videri, atque hanc fortasse causam esse quod apud neutrum eorum scriptorum quidquam de flexuntibus inveniamus.

LIB. XXVIII.

Fol. X v.; pag. 45 p, pag. 7 B.

. . . .
. . . .

Haec pagina certos litterarum ductus fere nullos praebet. p. B. in extremo versu ..... IO...] Contextu orationis qui est in principio seq. paginae adductus Pertzius dat: *qui Antiochiam; cum Antiochiam* M.; ...... B.

LIB. XXVIII.

Fol. X r.; *pag. 45-46, p., p. 9 B.*

A. qui Antiochiam advenerat, mortuo fratre regnavit. idem cogitaverat bellum postea indicere Romanis, sed inhibitus dicitur Macedonis sorte. perpaucis bonis magna miscebat mala, incertae naturae levitatisque summae: epulis comissabundus intervenire, ad symphoniam nudus saltare et balneis publicis uti, plebe balneas frequentante, perfusus unguentis. et Asturcone pompam regebat, et se simulabat Hierapoli Dianam ducere uxorem, et cum ut ad epulas aurea et argentea vasa e sacro protulissent, cenatus de mensis ea abstulit in dotem,

B. excepto anulo quem unum | omnium deae donorum reliquit. Graccho iterum, de cuius paulo antea memini consulatu, terrore perit nocturno. corpus eius cum Antiochiam portaretur, exterritis subito iumentis, in fluvium abreptum non comparuit. has ille poenas infandi sacrilegi deis iratis expendit. duos colossos duodenum cubitorum ex Media . . . . . . unum Olympio alterum Capitolino Iovi dedicaverat. Athenis Olympion exstruere e lapide marmore instituerat. nam columnas aliquot numero circumdederat. aedes nobilissima Olympii Iovis Atheniensis diu imperfecta permanserat . . . . . .

A. Spatium (ex marg. ext.) trium vel quattuor litterarum avulsum p. — *qui Antiochiam*] ex fine superioris paginae (v. supra). — *inhibitus*] M. et p.; *prohibitus* B. — *Macedonis*] Keilius (Iahr. f. kl. Philol. v. 77 p. 644); credibile enim est Antiochum, qua natura erat, Persei clade vehementius quam cuiusvis numinis responso commotum esse atque a consilio suo deterritum. Keilius conicit etiam *Persei regis sorte* (cod. OSOENISSORTE); *Apollinis sorte* B. in adn.; *Osogae Iovis* (Ζεὺς Ὀσογῶα in Caria v. Preller-Robert I[4] pag. 580 Anm. 2) *sorte* Meinecke (Ephem. Arch. 1857 n. 106-107 p. 103); *praematura morte* C. G. Schmidt (Philol. XIII, p. 226). — *bonis - summae*] restituit M., qui tamen *vitia* dedit pro *mala*, quod nunc accipimus a Mich. Flemisch (o. m.) — *epulis intervenire*] B; *comissabundus* M.; *comisans* B. — *et balneis — frequentante*] supplevit Keilius (l. m.), auctore Polybio (XXVI,

10 ἐλούετο δὲ καὶ τοῖς δημοσίοις κτλ.); *per balneas publice ungi, balneas petere* p. (*ungi* coniecit M.); *publice frequentare balneas, potare cum plebe* B., qui in adn. addunt: *fortasse* « *per ganeas* »; at Antiochum usque ad ganeas descendisse apud nullum scriptorem dictum est. — *perfusus unguentis*] B. et Keilius; *vel perfusus unguento* p. — *regebat*] p. cum Ber.; *ducebat* B. — *se*] B. — *simulabat*] Bern. — Dianam] DIANA cod.; *deam* Hirschfeldius, probante Dieckmanno (p. 20); v. comm. — *et cum ut ad epulas — cenatus de mensis ea*] suppl. Keilius, qui tamen exhibet *sacra* pro *e sacro*, quod nos a Froehnero (Philol. XV, p. 619) accepimus; *et ceteris epulantibus* ..... B. — *abstulit in*] B. — *excepto*] B. qui in adn. scribunt: *fortasse* « *anulo* »; *extra anulum* Keil.

B. *donorum*] B.; DEAEDONIS cod. unde Dieckm. (p. 14) *e deae donis*. Froehnerus (l. m.) proposuit: *simulabat Hierapoli Dianam ducere uxorem, et deinde cum ad epulas sacerdotes scyphos e sacro protulissent, unus tantum remansisset, omnes tulit in dotem, excepto illo, quem unum omnium deae donum reliquit.* — *Graccho iterum-consulatu*] Keil.; *consule* (pro *consulatu* quod M. proposuerat) B. qui secludunt « *de cuius memini* » atque adnotant: *voluit librarius addere* « *consulatu* » (CONSULETUR cod.); at *Graccho iterum*, nullo alio verbo addito, Latinum est; cf. Hor. (*Ep.* I, 5, 4), cuius auctoritate etiam oratio soluta niti potest, cum agatur de Liciniano, qui in scriptoribus Augusteae aetatis enumerandus non est; neque non opportunum videtur, ut Schmidtius existimat (Philol. XIII, 1858, p. 223), « *paulo antea* », quod inter primum (577 u. c.) et alterum (591) T. Sempronii Gracchi consulatum quattuordecim intersint anni; epitomatori enim Liciniano ad res quae hoc temporis spatio acciderunt enarrandas, compluribus paginis non opus fuit (cf. Madvig l. m. p. 399 et seg.) Etiam Madvigii coniectura i. e. litteris GRACCHIITER aliquid contineri quo moneamur de C. Gracchi in Syriam legatione, quae facta est paulo ante Antiochi mortem (v. Polyb. XXXI, 5, 9; Diodor. II, p. 583 Wess.), omnino reicenda est (v. etiam quod recte monet Dieckmannus p. 20, adn. 3). — *terrore perit* (fortasse *periit*) *nocturno*] Keil.; ..... *interiit nocturno* p.; .... *perit nocturno* B. qui adnotant: *conicere possis* (ante « *perit* ») « *torpore* vel *turgore* » (*turgore nocturno?*); *in itinere perit nocturno* Franckenius (Jahr. f. k. Phil. 3 Suppl. n. f. p. 254); Schmidtius (l. m.) conicit *turpiter perit*, atque hic enunciatum concludit, cum proximum putet ordiri ab « *nocturno* ». Lectio quam nos accepimus veteri opinioni melius respondet (v. comm.); *visu interit nocturno* Dieckm. — *iumentis*] M. — *abreptum*] Schmidtius conicit « *abreptum* » in fine enunciati esse; ex « *non com.. ruit* » (*comparuit* M.) autem proximum ordiri, quod parum verisimile est. — *has ille poenas — expendit*] Restituit Keilius; atque ita quidem locus restituendus videtur et verbis HASILLE... EXTENDIT, quae perspicue cernuntur in cod. et eis quae leguntur in fol. 3 r. l. 20: *perfidiae et avaritiae poenam nequissimum hominem expendisse.* B. hunc locum omnino neglexerunt et in textu posuerunt.......; Bursianus (Jahr. f. k. Phil. 1858, vol. 77, p. 650) *has ille poenas tanti sacrilegi expendit.* Nuper Dieckm. (p. 14) ita Keilii coniecturam mutavit: *has ille p. i. s. incensis expendit diis. Colossos duos denum;* sed non bene, mea quidem sententia, propter *incensis diis* maxime, quod si ad verbum intellegimus veteri opinioni non respondet, verbis autem translatis, vix recipi potest. — *iratis*] pro « *laesis* » quod Keilius voluit, nos reposuimus. — *Ex Media*] Franckenius (l. m. p. 254); itaque probabiliter conicere possumus cum Dieckmanno (p. 90) *reversus,*

Antiochiae; EXMEDEA cod.; *ex aere* M.; *exstruxit* Keilius, qui totum hunc locum ita exhibet: « *duos colossos duod. cub. exstruxit, unum Ol. alt. Cap. Iovi. dedicavit et Athenis Olympion et muros lapide . . . . . instituerat.* » — *dedicaverat — instituerat*] Bursianus (l. m.); B. scribunt: *duos colossos duodenum cubitorum ex aere, unum Ol. alterum Cap. Iovi. decoraverat et Athenis Olympion (Olympio* cod.), *et muros lapide . . . struxerat.* Ex litteris cod. conici etiam potest: *muro lapideo instruxerat.* — *nam*] cod. p. B.; pro « *nam* » iam Keilio suspecto, quod satis non intellegatur quid hic sibi velit particula caus., Dieckmannus proponit *iam;* sed de hac particula *nam* (= gr. δὲ) apud deterioris Latinitatis scriptores v. Flemisch (l. m. p. 266). — *numero*] cum cod. Burs. et Flemisch; Keilius conicit *diptero,* nisus loco Vitruvii (praef. VII, 15) qui templum descripsit. — *permanserat*] p., Keilius (l. m. p. 646), Madv. (l. m. p. 407); *permanse* cod.; *permansit* B.

A. *Antiochiam advenerat*] Antiochus IV Epiphanes, Antiochi Magni filius *obses Romanis a patre datus, mortuo fratre Seleuco, qui patri defuncto successerat, in regnum Syriae ab urbe dimissus* (Per. Liv. l. XLI); secundum autem Polybium (XXXI, 12), vivo etiam tum fratre, qui eius in locum unicum filium Demetrium obsidem Romam miserat, iam Roma redierat. — *regnavit*] ab anno u. 580 usque ad annum 591. — *postea*] cum inter Romanos et Perseum, Macedonum regem, anno 586 bellum ortum est, si Perseus superior discessisset; ceterum eum etiam post proelium ad Pydnam cum Eumene contra Romanos consilia communicasse ex Polybio (XXXI, 5, 6) et Livio (Per. 46) apparet. — *perpaucis bonis*] Livius (XLI, 20), multis allatis quae de mobili animo insaniaque eius testantur (cf. Polyb. XXVI, 10; Diod. XXVIII, 32 et XXXI, 16), addit: *in duabus tamen magnis honestisque rebus vere regius erat animus, in urbium donis et deorum cultu.* — *incertae naturae levit. s.*] Liv. (l. m.) *adeoque nulli fortunae adhaerebat animus, per omnia genera vitae errans, uti nec sibi nec aliis quinam homo esset satis constaret.* — *epulis intervenire*] Polyb. (XXVI, 1 ed. Hultsch): ὅτε δὲ τῶν νεωτέρων αἴσθοιτό τινας συνευωχουμένους, οὐδεμίαν ἔμφασιν ποιήσας παρῆν ἐπικωμάζων μετὰ κερατίου καὶ συμφονίας (cf. Diod. 29, 32). — *ad symphoniam n. s.*] Polyb. (XXXI, 4): καὶ τῆς συμφωνίας προκαλουμένης, ἀναπηδήσας ὠρχεῖτο καὶ ὑπεκρίνετο μετὰ τῶν γελωτοποιῶν, ὥστε πάντας αἰσχυνομένους φεύγειν. Diod. (31, 16): μετὰ ταῦτα τῆς συμφωνίας προκαλουμένης ἀνεπήδα γυμνός κτλ. — *balneis — freq.*] Polyb. (XXVI, 10): ἐλούετο δὲ κὰν τοῖς δημοσίοις βαλανείοις, ὅτε δημοτῶν ἦν τὰ βαλανεῖα πεπληρωμένα, κεραμίων εἰσφερομένων αὐτῷ μύρων τῶν πολυτελεστάτων. Quod attinet ad verba *balneis uti* cf. Celsum I, 1 p. 20, 31; Orelli *Inscr. lat.* n. 202 *a* (a Keilio memor.). — *Asturcone pompam regebat*] Aut inter haec verba et quae sequuntur « *se simulabat Hier.* » etc. aliqua est lacuna quae in cod. non apparet, aut fatendum est Licinianum res a suo auctore narratas mirum in modum epitome circumscribere! iure enim quaerere possumus quaenam tandem sit haec *pompa* de qua is loquatur. Quod ut sciamus, Polybium adire nobis opus est (XXXI

3, 4), qui narrat Antiochum Daphne, Antiochiae in suburbio, pompas et ludos, quibus P. Aemilius partam victoriam Amphipoli magno apparatu concelebraverat (v. Liv. XLV, 32), imitari et, si fieri posset, splendore superare voluisse. — *Asturcone*] *Asturco equus ab Asturibus, Hispaniae gente, unde venit, appellatus, molli et glomerato alternantium crurum passu incedens et sessorem non succutiens atque ob id magno in pretio habitus* (v. Forcell. De-Vit Lex.). Cum autem appareat Asturconem dici non posse illum ἵππον εὐτελῆ aut illud ἱππάριον εὐτελές quo tunc, ut tradunt Polybius (l. m.) et Diodorus (XXXI, 16), Antiochus usus sit, atque etiam contrarium significare, existimamus hoc vocabulum *Asturcone* Licinianum in epitomen suam integrum transtulisse ex aliquo fonte (an Livio?) ubi in Latinam linguam conversum esset quod vere apud Polybium legeretur i. e. εὐσκελῆ pro εὐτελῆ. Antiochum enim splendidissimam illam pompam strigoso mannulo insidentem duxisse vix credi potest; non recte igitur videtur de hac re opinari Dieckmannus (p. 17), cum dicat apud Polybium et Diodorum ἵππον εὐτελῆ esse legendum, cum aliquid ridiculum de Antiocho afferri expectemus. — *Hierapoli*] « *urbe sacra* » in Coele Syria; sic a cultu deae Astartes urbem, cui antea Bambyce nomen erat, rex Seleucus Nicator appellari voluit. Licinianus autem, cum Hierapolim diceret urbem esse ubi Antiochus templum Dianae expoliavisset, aut a fonte suo in errorem inductus est, aut, quod credibilius est, incaute res summatim perscribens, ut haud raro ei accidit, Hierapolim, quae apud suum auctorem in alio orationis contextu commemorabatur, ea urbe confudit ubi Antiochus postremum sacrilegium patravisse videtur. Ex nullo alio loco apparet Antiochum expoliavisse aut expoliare cogitavisse templum Hierapolitanum. Polybius (XXXI, 11 cf. cum *Maccab.* I, 6, 1 sq.; Ios. Fl. *Ant.* XII, 9, 1, Sulp. Sev. *chr.* II, 22, Hieron. *ad Dan.* 11) narrat Antiochum, ut pecuniam cogeret, templum Dianae in Elymaide invadere constituisse, sed, cum in regionem pervenisset, spe consilii perficiendi amissa (cf. App. *Syr.* 66), quod barbari, qui circa eum locum habitabant, quominus templum violaret prohibuissent, recessisse, atque Tabae, Persiae in oppido, vita decessisse. Hoc Elymaeum templum quod, secundum Polybium, Artemidi, secundum Appianum, Aphroditi sacrum erat, idem est quod scriptor alterius *Maccabaeorum* libri (1, 13) templum Naneae appellat (Babylonia dea, Ναναία, apud Polybium eadem est quae Ἄρτεμις, apud Appianum quae Ἀφροδίτη v. E. Meyer in *Lex. Mithol*, Roscheri p. 646), ibique ille narrat haec accidisse: *Cum in Perside esset dux ipse* (Antiochus) *et cum ipso immensus exercitus, cecidit in templo Naneae consilio deceptus sacerdotum Naneae. Etenim cum ea habitaturus venit ad locum Antiochus et amici eius, et ut acciperet pecunias multas dotis nomine; cumque proposuissent eas sacerdotes Naneae, et ipse cum paucis ingressus esset intra ambitum fani, clauserunt templum, cum intrasset Antiochus....... mittentes lapides*

percusserunt ducem. Cf. cum istis Antiochi et Dianae nuptiis quod Seneca (*Suas*. I, p. 4-17 seq.) de Atheniensibus refert, i. e. suam deam Palladem Athenam Antonio uxorem dare voluisse atque in eius dotem mille talenta conferre iussos esse.

B. *Graccho*] Tib. Sempronius Gracchus consul anno u. 577, iterum anno 591, Tiberii et Gai tribunorum plebis pater, vir domi bellique clarus, de quo infra vide. — *terrore nocturno*] Vidimus quomodo scriptor II lib. *Maccab*. Antiochum morientem faciat; in priore libro contra legimus eum phthiriasi consumptum esse (de qua fama v. Dieckm. p. 18-19). Sed Polybius, unde per Livium, uti nos existimamus, haec rerum Syriacarum narratio ad Licinianum venit, Antiochi expeditione in Elymaiden (v. supra) memorata, addit: ἀναχωρῶν ἐν Τάβαις τῆς Περσίδος ἐξέλιπε τὸν βίον δαιμονήσας, ὡς ἔνιοί φασι, διὰ τὸ γενέσθαι τινὰς ἐπισημασίας τοῦ δαιμονίου κατὰ τὴν περὶ τὸ προειρημένον ἱερὸν παρανομίαν. Quae inter se discrepantia atque fictis fabulis exornata de morte Antiochi in hominum sermonibus fuerint, vide apud Flathe (Gesch. Maked. II p. 593). — *corpus eius* etc.] Aliter apud *Maccab*. II, 1, 29. — *duos colossos etc.*] Id quidem Daphne, Antiochiae in suburbio, ita ut hæc pro illa nominari possit. De Iovis Olympii Nicephori colosso, auro et ebure fictum, ad illius Phidiaci similitudinem v. praeter Amm. Marcell. (XII, 13, 1), Cavedoni (l. m. p. 139), qui existimat effigiem Iovis Olympii sedentis victoriamque dextra tenentis in Seleucorum nummis primum apparuisse Antiocho Epiphane IV regnante (cf. Owerbeckium a Dieckmanno laud. p. 90). Quod ad Capitolinum Iovem attinet, haec tantum ex Liviano loco habemus, qui mutilus est: *Antiochiae Iovis Capitolini magnificum templum non laqueatum auro tantum, sed parietibus totis lamina inauratum et alia multa in aliis locis pollicitus, quia perbreve tempus regni eius fuit, non perfecit* (XLI, 20). — *duodenum cub.*] Colossus Iovis Olympii, secundum Arnobium (*adv. nat*. VI, 21), cubitum decem erat, quindecim secundum Clem. Alex. (*Protrept*. 4, 52). — *ex Media*) Antiochum in Mediam se contulisse ex II *Maccabaeor*. (9, 3) atque ex Stephano Byz. (s. Ἀγβάτανα) apparet. — *Olympion*] i. e. templum Iovis Olympii cuius fundamenta Pisistrati temporibus posita sunt (Aristot. *Pol*. V, 9, 4 τοῦ Ὀλυμπίου ἡ οἰκοδόμησις ὑπὸ τῶν Πεισιστρατιδῶν), sed aedificatio imperfecta permanserat (Vitr. l. m.: *Athenis Antisthenes et Antimachides et Porinos architecti Pisistrato aedem Iovi Olympio facienti fundamenta constituerunt; post mortem autem eius propter interpellationem reipublicae incepta reliquerunt*). Hanc Antiochus rursus sumpsit atque magnifice persecutus est (Polyb. XXVI 1, 10-11; Liv. XLI, 20, 8; Vitr. l. m.; Vell. Pat. I, 10 « *inchoavit* » non satis accurate dicere videtur), sed ad finem non perduxit, quae gloria Hadriano imperatori servata est. Nomen « *Olympion* » nihil habet quod offendat, nam ut Graece Ὀλυμπίειον (serius Ὀλύμπιον), ita Latine *Olympieum* et *Olympium* dicebatur (v. Keil. l. m. et Dieckm. p. 23.).

LIB. XXVIII.

Fol. IX v., pag. 31 p, pag. 11 B.

A. .... Aemiliam nobilem feminam rogo impositam tubicinum concentu memorant excitatam.

De Corfidiis fratribus quasi fabula est. maior frater, herede minore facto, mortuus erat, lectoque testamento, revixit maior; a fratre ait se dimissum; eum petisse decies funeri erogaretur et locum indicasse thesauri et filiam commendasse. aurum praedicto loco repertum et frater heres repentino mortuus nuntiatur. |

B. Multa ...... omittenda in his historiis existimavi. nec opplendae sunt huiusmodi cognitionibus chartulae, cum satis .... usu, sed gesta ..... a maioribus tantum modo opus fuit nos recognoscere quantum memoriae tradere ....

.... sė cum augurales libros legeret consules vitio creatos esse doctum, quod denuo extra pomerium auspicari debuisset cum ad habenda in campo comitia contenderet, quoniam pomerium finis esset urbanorum auspiciorum. se vero in villa Scipionis tabernaculum posuisse et quom ingrederetur pomerium ....

A. In tribus prioribus versibus haec tantum verba discerni possunt: EIQUE ALIAM .... REDISSE; itaque « *alia miracula* (*mirabilia* M. Flemisch o. m. p. 267) *nuntiantur* » a B. datum in textu, nihil aliud quam coniectura est. — *Aemiliam*] ex extremis litteris tertii versus et quarti ineuntis legit M. — *nobilem*] p. B; NOBILEIN cod. — *rogo*] M. — *memorant*] M. p.; *ad vitam* B.; MI .... cod. — *Corfidiis*] B. cf. Varr. apud Plin. VII, 177 (v. comm.); *Corticiis* cod. et p. — *herede minore facto mortuus erat*] B; *heredem minorem instituerat* M. — *lectoque testamento revixit maior ; a fratre ait*] M. p.; *l. t. revixit. a minore fratre narrat* B. at « *revixit maior* » perspicue in cod. discerni potest. — *dimissum*] *dimissus* cod.; *remissum* B. — *decies - erogaretur*] M. qui in T. a cod. praebito agnovit X̄; *funeri suo* B.; *eum petisse ut funere illo efferretur* p. Plinium secutus, sed perperam, cum in ms.

legatur sine ullo dubio EROGARETUR. — *indicasse*] B. *edocuisse* M. et p. — *thesauri*] M. — *et filiam commendasse*] M.; *filiamque sibi commendasse* B.; at, ut B. ipsi fatentur (in adn.), haec verba spatium excedunt litterarum quae in cod. supplendae sunt, cum « *sibi* » ad sententiam explicandam non sit necessarium. — *heres repentino mortuus nuntiatur*] M.

B. . . . . . *omittenda in his historiis existimavi*] optime coniecerunt B., quamquam ex litteris cod. nihil elici potest — . . . . *usu - maioribus*] B.; *defendat usus et* p.; PEPENDITUSUSET cod. — *tantum modo*] Francken (l. m. p. 239); *tantumdem* B.; TANTŪDE cod. — *recognoscere*] cum Franckenio (p. 239); *nostro corde noscere* B. (v. M. Flemisch o. m. l. m.); NOSTROCORE (E iam distingui non potest) NOSCERE cod. — . . . . . .] post « *tradere* » fortasse cum Dieckmanno (p. 11 adn.) supplendum est: *utile videtur*. — . . . . . *se cum augurales - pomerium*] Non verba codicis hic habemus, sed sententiam solum, quae litteris codicis depravati et mutili a versu septimo usque ad ultimum huius columnae contineri videtur; eam coniectura assequi B. existimaverunt, cum in extremis columnae versibus legissent verba VILLAM . . . . TABERNACULU(M) POSUISSET . . . . POMERIUM, quae in memoriam revocabant locum Ciceronis (*de Nat. Deor.* II, 4): . . *post ex provincia litteras ad collegium misit* (T. Sempronius Gracchus ex Sardinia ubi proconsul erat) *se cum legeret libros recordatum esse vitio sibi tabernaculum captum fuisse hortos Scipionis, quod, cum pomerium intrasset habendi senatus causa, in redeundo cum idem pomerium transiret, auspicari esset oblitus; itaque vitio creatos consules esse* (v. comm.).

A. *Aemiliam etc*] Nihil apud quemquam de hac narratiuncula invenimus. — *De Corfidiis fratribus* etc.] v. Plin. H. N. VII, c. 52, § 177: *Adicit* (i. e. Varro, cuius matertera illius Corfidii uxor erat qui tam mirum in modum in vitam rediisse hic narratur) *miracula quae tota indicasse conveniat: e duobus fratribus equestris ordinis Corfidio maiori accidisse ut videretur exspirasse apertoque testamento recitatum heredem minorem funeri institisse; interim eum qui videbatur exstinctus plaudendo concivisse ministeria et narrasse a fratre se venisse, commendatam sibi filiam ab eo, demonstratum praeterea quo in loco defodisset aurum nullo conscio et rogasse ut iis funebribus quae comparasset efferretur. Hoc eo narrante fratris domestici propere adnuntiavere exanimatum illum, et aurum ubi dixerat repertum est.* — *quasi fabula*] particulam *quasi* magnopere diligit noster Licinianus; cf. *quasi mente commota* (fol. VIII r., A 1), *quasi oppressus* (fol. VII, r., B. 8), *quasi meliore nomine* (fol. II v, B 8). — *decies*] i. e HS$\overline{X}$ = *decem milia sestertium*. — *erogaretur*] de particula « *ut* » omissa v. Madvigii *Gramm. lat.* in ital. l. red. § 272, A. 4. — *nec opplendae sunt h. cogn. chartulae.*] V. disputationem nostram in « *Rivista di filologia* » quam memoravimus p. 281 et 274 in adn. — *augurale libros — quom ingred. pomerium.*] Quod Licinianus hic tangere videtur a Cicerone narratum est, praeter locum a Bonn. allatum, in priore quoque libro *de divinatione* (XVII, 33), atque legitur etiam apud Valerium Maximum (I, 3) et Plutarchum (Marc. V). Recte necne huius loci sententiam, Ci-

ceronis auctoritatem secuti B. restituerint, valde dubium est: hi enim videntur litteris codicis minime nixi, in explicando Sempronii Gracchi augurali errore, Licinianum a Cicerone discrepantem fecisse (v. Schoemannum in adn. ad hunc Cicer. locum *de nat. Deor.* Weidm. Berol.); qui error, qualis fuerit, ne a Plutarcho quidem (Marcell. l. m.) satis accurate definitur. — *augurales libros*] libri augurales omnia præcepta et formulas ad auspicandum necessaria continuisse videntur cum explicationibus interpretationibusque, quas docti viri ex augurum collegio ab antiquissimis temporibus deinceps addiderant. Appellabantur etiam *Commentarii augurum*, vel (ut pontificii) *libri*, Graece autem μαντικὰ ὑπομνήματα vel ἱερατικὰ ὑπομν. (sic emendatus est locus Plut. quem supra attulimus). — *consules*] i. e. in annum u. 592, aestate vel autumno anni 591 creatos, P. Scipionem Nasicam et C. Marium Figulum. — *in campo*] i. e. Martio. — *in villa Scipionis*] Si apud Licinianum sic legendum est, maiore quadam auctoritate confirmari videntur verba *hortos Scipionis* apud Cic. (l. m.), quae Heindorfius non immerito seclusit. Nihilominus, ut a Mss. exhibentur, nullo modo servari possunt; consul enim auspicari debebat in *agro effato* (Varr. *ling. l.* IV; Serv. ad *Ver. Aen.* VI, 197), qui semper incultus relinquebatur, ita ut « *prope hortos Scipionis* » vel « *haud procul ab* » omnino legendum sit. — *tabernaculum*] Schoemannus (l. m.): *ut magistratus qui comitiis praefuturus erat auspicaretur, saepe se post mediam noctem in locum idoneum, contra urbem, vacuum et incultum conferebat, ibique tabernaculum ad id exstructum intrabat. Quod « tabernaculum capere » dicebatur.*

LIB. XXVIII.

Fol. IX r., pag. 8 p., pag. 12 B.

. . . .

. . . .

A. Huius columnae margo exterior desideratur. p. — Rarae tantum litterae aut syllabae supersunt et verba MISITIN.

B. Haec columna tali modo cultello adrasa est, ut iam nulla litterarum vestigia remanserint. p.

LIB. XXVIII.

Fol. XII v. pag. 5 p.; pag. 13 B.

. . . .
. . . .

A. B. Huius paginae litterae omnes fere erasae sunt p.

LIB. XXVIII.

Fol. XII r., pag. 30 p., pag. 15 B.

A de P. Lentulo qui erat consul cum Cn. Domitio non fuit omittendum . nam clarus vir fuit et rem publicam iuvit . ei praetori urbano senatus permisit agrum Campanum quem omnem privati possidebant, coemeret, ut publicus fieret . et possessores Lentulo concesserunt pretia constitueret . nec fefellit vir aequus, nam tanta moderatione usus est, ut et rei publicae commoda et possessorum temperans .... iugerum milia quinquaginta coemeret . agrum .... divisum .... et eum indicto pretio locavit . et multo plures
B agros ..... | praepositus reciperavit formamque agrorum in aes incisam ad Libertatis fixam reliquit, quam postea Sulla corrupit . idem tamen dotem filiae dedit sestertia XXV.

Verum Antiochi Epiphanis regnum senatus filio Antiochi Antiocho puero attribuit, qui paulo post εὐπάτωρ appellatus est . id Demetrio Seleuci filio qui datus obses a patre erat petenti denegabat, cum ille se et puerulum Romam venisse et aetate maiorem esse ad annos XXIIII praedicaret: patriam sibi iam Romam esse, senatum parentem, et cum haberet ....

A. *de P. Lentulo qui*] suppleverunt B. — .... *P. Lentulus qui* p. Vestigia lacunae non sunt in principio columnae, ubi legitur *erat consul*; igitur *de P. Lentulo qui* in fine superioris columnae fuisse censendum est. — *ei*] suppl. B., nam in cod. duarum litterarum spatium est. — *ut*] proposuit p.; *et* cod. — *temperans*] B. cum M.; *temperaret* p. — *iugerum agros*] B. Quinque versus ab ultimo proximi, ubi B. coniecerunt verba *iugerum*, *milia*, *coemeret*, *indicto pretio*, *locavit*, *agros*, mutili sunt a margine exteriore; etiam in partibus eorum mediis nonnullae litterae desiderantur; in fine extremi versus solum ᴀES ... INC legi potest, ubi fortasse agnosceremus *aes incisum* aut *in aes incisum*, si fieri posset ut hic eadem essent verba quae paulo post (in tertio alterius columnae versu) rursus occurrunt. V. comm.

B. *aes*] M. correxit; EST cod. — εὐπάτωρ *appellatus*] M. — *denegabat*] Keilius; *negabat* B; *iungebat* cod. et p., qui addere in adn. *immo vero* « *non iungebat* » maluit, quam, quod B. facile potuerunt, codicis lectionem emendare. — *puerulum*] B.; *puerum* M. et p. — *aetate*] B., *aetatem* cod. — *patriam sibi iam*] Sic ego scribo pro *patriam sibi etiam* a cod. dato servatoque a p. et B.; Mommsenus, verborum ordine mutato, proposuit: *praedicaret, et iam Romam patriam sibi esse;* at *et* ab amanuense addi potuit, ut *etiam* haberet. — . . . . . .] B.; Hirschfeldius supplevit: *misericordiam senatus*; MIS . . . cod.

A. *P. Lentulo*] Cum consules P. Corn. Scipio Nasica et C. M. Figulus, quos Gracchus docuerat vitio creatos esse, se magistratu abdicavissent, consules suffecti sunt in annum 592 Cn. Domitius Aenobarbus et P. Cornelius Lentulus. — *non fuit omittendum*] v. disp. nostram in *Rivista di Filologia* l. m. p. 281. — *clarus vir fuit et r. p. iuvit*] summas laudes ei tribuit etiam Cicero, qui *virum reipublicae peritissimum et reipublicae rectorem et consilii publici auctorem* saepe eum vocat (v. *de Orat.* I, 48, 211 et passim), plerumque vero *principis senatus* nomine designat (*de Orat.* l. m. *Brut.* XXVIII, 108; *de leg. agr.* II, 30, 82). Optimatium fautor, anno 633 in Gracchano tumultu vulneratus paulo post mortuus est. — *praetori urbano*] anno 589 secundum Mommsenum (R. G.[8] vol. II, p. 92), qui de agro Campano recuperando dum loquitur, hac Liciniani narratione utitur, qua haec a Cicerone tradita complentur (Cic. *de leg. agr.* II, 30, 82): *cum a maioribus nostris P. Lentulus, qui princeps senatus fuit, in ea loca missus esset, ut privatos agros qui in publicum Campanum incurrebant, pecunia publica coemeret, dicitur renuntiasse* etc. Neque cum his pugnant quae apud Livium (XLII, 19) leguntur i. e. *per recognitionem Postumii Albini* (cons. anno 581) *magnam partem agri Campani quem privati sine discrimine passim possederant, recuperatam in publicum esse, M. Lucretium autem tribunum plebis posteriore anno* (582) *promulgavisse ut agrum Campanum censores fruendum locarent.* Nam, post Postumii recuperationem, cum possessores mansissent in agro iam reipublicae adsignato, Lucretius lege sua ut agro cederent eos cogere voluit. Qui cum apud senatum gravati essent etiam privatos esse agros inter reciperatos quos iure suo obtinerent, senatus, ut rem componeret, Lentulum principem senatus (non fortasse *praetorem urbanum*, ut Licinianus dicit) misisse videtur, qui agrum qui diceretur privatus coemeret, sed fruendum relinqueret possessoribus « *annuo pretio indicto.* » — *agrum Campanum*] Ager Capuae et finitimarum civitatum, qui anno 543 u. ager publicus denuntiatus erat, sequentibus reipublicae temporibus maximam partem in privatorum possessionem venerat (Momm. l. m.). — *milia quinquaginta*] *milia* addiderunt B. verbis Ciceronis nixi (*ad Att.* II, 16, 1): *omnis exspectatio largitionis agrariae in agrum Campanum videtur esse derivata, qui ager ut dena iugera*

sint non amplius hominum quinque milia potest sustinere. » — *indicto pretio*] certo pretio a Lentulo ipso constituto, non per licitationem.

B. *reciperavit*] Recte monet Dieckmannus (p. 24) ex Cicerone (*de lege agr.* II, 30, 82) colligi non posse, ut putat Mommsenus (l. m. in adn.), Lentulum in universum nihil effecisse, cum possessores agros vendere noluissent. Apud Ciceronem enim haec tantum leguntur (nec aliter legi possunt): *dicitur renuntiasse nulla se pecunia fundum cuiusdam* (ergo non *omnium*, sed *unius cuiusdam* possessoris) *emere potuisse, eumque qui nollet vendere, ideo negasse* etc. — *formam agrorum in aes incisam*] Tabulam in aes incisam, discriptionem agrorum, nomina possessorum et quid quisque quotannis solvere deberet continentem. De hac tabula solus Licinianus. — *ad Libertatis*] i. e. *atrium*; non, ergo, *templum* Libertatis in monte Aventino a T. Sempronio Graccho (cons. 516), patre eius qui apud Beneventum Hannonem vicit, conditum, sed *atrium* Libertatis, quod amplum aedificium erat profanum, variis usibus publicis destinatum, ubi leges plerumque parietibus figebantur (v. Wissowa in Lex. Roscherii p. 2031 et seqq.). — *quam p. S. corrupit*] Sive possessores nobiles Romanos annuo tributo levare cupiens, sive quod res publica bello sociali ita erat mutata, ut nullus iam antiquae tabulae usus esset. — *dotem*] tam exigua dote filiae data ostenditur quanta integritate et continentia Lentulus fuerit iu pecunia publica administranda. — *Verum*] Redit Licinianus ad res Syriacas, ita ut omnia quae in libro ab Antiochi Epiphanis morte hactenus narrantur, inserta esse videantur ad consecutionem temporis servandam (cf. Francken. l. m.p. 240). — *filio Antiochi A. puero*] Antiochi Epiphanis filius, qui puer septem annorum erat cum pater mortuus est. — *paulo post* εὐπ. *appellatus*] Antiocho *paulo post*, non *statim* post patris mortem, hoc cognomen inditum esse apparet (cf. Cavedoni l. m.) etiam ex nummis, quorum in plerisque, sed non in omnibus, *Antiochus* εὐπάτωρ est. — *Demetrio*] Seleuci Philopatoris filius (v. adn. p. 10) a patre Romam obses missus est in locum Antiochi fratris, qui cognomine Epiphanis postea regnavit; itaque frater erat patruelis eius pueri cui Syriae regnum senatus concessit. — *ille se puerulum R. venisse*] anno 579 decimum aetatis annum agens, i. e. anno ante mortem patris (cf. Pauly *Realenk.* II, 932). — *ad annos XXIV*] i. e. quattuor et viginti annos natum, Polybio (XXXI. 12) et Appiano auctoribus. — *cum haberet*] Verisimile est Licinianum, eodem fonte usum (Polyb. l. m. ex quo tamen directe non haurit, v. disp. n. in *Riv. di fil.* mem. p. 281 et seqq.) ad finem historiam deduxisse huius fraternae contentionis, quae populo Romano haud parvo dedecori fuit.

LIB. XXXIII (?).

Fol. 1 v., pag. 34 p., pag. 17 B.

A . . . . vocitati. et M. Aurelium Scaurum consularem virum ceperunt equo deiectum. nam is vocatus in concilium ab is nihil indignum viro Romano, qui tantis honoribus functus erat, aut fecit aut dixit . itaque interfectus est, cum posset effugere. et nec ipsis petentibus ducem se tradere sustinuit verecundia ut, amisso exercitu, incolumis esset. qua victoria Cimbrorum territus Mallius consul litteris supplicibus cum Caepionem orasset, ut copiis iunctis simul et exercitu ampliato Gallis resisterent, impetrare non potuit. et cum Rho-
B danum traiecisset | et apud milites gloriatus esset timenti consuli se auxilium laturum, ne communicare quidem cum eo consilium belli gerendi voluit, neque adduci potuit, cum non multo abesset, ut exercitum iungeret, nec legatos quos senatus miserat ut concordes essent simulque rem publicam iuvarent, auscultare dignatus est. Cimbrorum etiam legatos pacem volentes et agros petentes frumentumque quod sererent, ita contumeliose submovit, ut, desperata pace, ad arma redirent. capta postero die castra eius non longe a Mallii castris constituta, et maxima pars exercitus deleta est . . . .

A. *nam*] cum cod. p. et B.; Schmidtius (*Philol.* XVIII p. 226) adnotat: *Si forte oratori, non tamen rerum scriptori particula « nam » ita uti licuisset* et proponit *iam*, cum in MSS. pro hac particula illam saepe inveniamus (cf. apud Licinianum p. 8, lib. XXVIII B); at ne *iam* quidem hoc loco idoneum videtur. Cum particula « *nam* », « *itaque* » subiuncto, Licinianus hic usus esse videatur eodem modo quo Graeci γὰρ — οὖν saepe usi sunt, ita ut *celeritate cogitandi adductus scriptor id enuntiatum quod causam afferat ante id ponat cuius caûsa afferatur*, Dieckmannus (l. m. p. 36) ex hac apud Latinos scriptores tam rara constructione intellegi posse putat eum ex Graeco aliquo fonte hic materiam suam hausisse. Quod ad probandum exile, hercle, id argumentum est; quin etiam dubitare licet num Grae-

eorum scriptorum opera longa consuetudine triverit, qui ea tali modo in Latinam linguam transferret. Vide quod adnotavimus ad lib. XXVIII B (p. 10). — *ab is*] B.; *ab his* cod. et p. — *et nec ipsis* — *incolumis esset*] Hoc enunciatum superiori *itaque* — *effugere* male connectitur atque illud antecedere debet. Dieckmannus (p. 36 in adn.) hic quoque sententias male inter se coniungi existimat, quod Licinianus enuntiatum *et nec ipsis* etc. in Graeco fonte causali aliqua particula cum antecedenti *nihil indignum* — *effugere* coniunctum, inepte suae particulae « *et* » ope copulaverit. Rectius Bonn. (praef. XVIII): *Memorata Scauri morte non sustinuit qui has historias excerpebat omittere hoc Romanae virtutis specimen addiditque illius suae, quam novimus, particulae ope.* Schmidtius (l. m.) velit: *itaque interfectus est cum posset effugere necem, ipsum petentibus ducem. sed hac de re abstinuit verecundia ut amisso exercitu incolumis esset* (v. comm.). *Mallius*] *Manlius* cod. (in fol. III r. *Manilius*) p. B. Etiam in aliorum scriptorum codicibus modo « *Manlius* » modo « *Manilius* » invenimus, sed verum nomen, ut ex inscriptionibus (C. I. L. X. 1781; C. I. G. 2485) accepimus, procul dubio est Mallius (Maximus).

B. Huius columnae margo exterior nonnunquam avulsus est, ita ut una alterave littera excidisse videatur. p.— *et cum Rhodanum traiecisset* etc.] epitomatoris potius neglegentia quam codicis corruptela factum est, ut quod dicitur de Caepione ad Mallium referri videatur (v. d. n. in *Riv. di Fil.* m. p. 280).— *neque adduci potuit — iungeret*] Haec verba in cod. atque apud p. et B. leguntur post *non longe a Mallii castris constituta*, sed illic ea in loco non idoneo esse satis apparet, cum neque ad Mallium, qui *Caepionem orasset ut copiis iunctis Gallis resisterent*, referenda sint, neque ad Caepionem qui, post cladem acceptam, nullum exercitum iungere potuisset (cf. Bursian. l. m. p. 650). Eo enunciato res addi videtur qua magis magisque in aperto fiat quanta superbia, ante proelium quo profligatus est, Caepio se gesserit. Is scilicet traiecit quidem Rhodanum, sed castra castris Mallii coniungere noluit (v. Dion. Cass. fr. 89 Melb. οὔτε ἐν τῷ αὐτῷ χωρίῳ ηὐλίσατο οὔτε τι βούλευμα κοινὸν ἐποιήσατο), ut sui exercitus summum imperium servaret. Dieckmannus (p. 32 in adn.), qui, quotiescumque fieri potest, Liciniani sui causam orat, ita rem explicare conatur: *librarius*, inquit, *ab* NEQ (ADDUCI), *quod in archetypo post « voluit » erat, aberrasse videtur ad* NEC (LEGATUS), *quod haud multum aberat; deinde cum defectum animadvertisset, verba* « neque — iungeret » *in margine posuisse, unde postea ea falso loco in textum venisse iudicandum est.* — *ad arma redirent. capta postero die castra*] Bursian (o. m. l. m.); *ut desperata pace* < *se converterent* > *ad oppugnanda postero die castra eius* M.; *ut desp. p. adorerentur postero die castra eius* B; *desperata pace adpugnarent castra* (cf. Tac. *Ann.* IV, 48) Keil. (l. m. pag. 628). Sed cum Dieckmanno (p. 31 in adn.) omnes coniecturas quae « *capta* » mutent, reiciendas esse censemus. Cod. exhibet . . . PACEADOU. . (in extremo versu B, 17, unde duae litterae exciderunt) CAPTA; quamobrem verisimile videtur quod Bursianus (l. m.) conicit, id est, librarii oculis in antecedentem versum aberrantibus (in fine v. 16 OUIT postremae litterae voc. *submovit*) aliquid excidisse velut « *ad arma redirent* ». *De litteris « capta »*, inquit p., *dubitari non potest, quas pater quoque h. l. exstare vidit.*

A. Hoc et seq. folio nonnulla narrantur ex iis quae bello Cimbrico facta sunt anno u. 649. — *Aurelium Scaurum*] consul anno 646. Is anno 649, consulis Mallii Maximi legatus, cum in sinistra Rhodani ripa, paulo infra Arausionem, ubi Mallius ipse castra posuerat, parti exercitus praeesset, primus cum Cimbris proelium commisit; sed, fuso exercitu, captus est et in castra hostium ductus. — *equo deiectum*] id a solo Liciniano habemus. — *vocatus in concilium — aut dixit*] cf. Liv. *Per.* LXVII: *M. Aurelius Scaurus legatus consulis a Cimbris fuso exercitu captus est, et cum in concilium ab eis advocatus deterreret eos ne Alpes transirent Italiam petituri, eo quod diceret Romanos vinci non posse, a Boiorige feroci iuvene occisus est.* De morte Scauri v. etiam Vell. Pat. II, 12, 2; Tacit. *Germ.* 37; Dion. Cass. fr. 89 (Melb.); Quint. *Decl.* III, 13; Oros. V, 16, 2, qui falso anno 642 proelium, quo Scaurus captus est, factum esse dicit, ducemque Romanorum M. Aemilium appellat. — *nec ipsis petentibus ducem*] id quoque nos docet solus Licinianus. — *se tradere sustinuit verecundia ut — esset*] Schmidtius, sua coniectura proposita (v. supra), *verecundia*, inquit, *deterritus erat non quominus summum barbarorum imperium acciperet, sed quominus necem effugeret: is scilicet nolebat exercitui suo interfecto superesse.* Quam interpretationem omnino reiciendam censeo, cum neque ullum ducem, qui officium suum praestiterit, unquam pudeat interfecto exercitui, si fors tulerit, superstitem esse, neque Scauro quod consilium Schmidtius ei tribuit, re vera fuisse videatur; nam quovis modo mortem potius petisset quam vivus in manus hostium veniret, cum providere non posset a barbaris repentina ira commotis fore ut necaretur. Quod verecundia ille non sustinuit, mea sententia hoc fuit, ut vitam servaret pretio dedecoris in quod incidisset si dux hostium contra patriam fieri passus esset. Italice verti potest: *ebbe vergogna di farsi lor duce per avere, dopo perduto il suo esercito, salva la vita.* — *litteris supplicibus*] Licinianus rem verbis auget, ut recte vidit Francken. (l. m. p. 252). Dio Cass. (fr. m.), qui solus satis copiose exponit res bello Cimbrico gestas ante imperium Mario delatum, agitque praesertim de illa inter Mallium et Caepionem simultate (quorum de indole moribusque v. Momm. o. m. II, p. 177), dicit tantum τὸν Σερουίλιον μετεπέμψατο. — *exercitu ampliato :* v. d. n. in *Riv. di Fil.* l. m p. 274 adn. — *Gallis*] i. e. *Cimbri*, quamquam etiam agmina Gallorum (ut Amburonum Tigurinorum) illis se coniunxerant. De hoc errore in quem etiam alii scriptores (Cic. *de prov. cons.* 13, 32; Sall. *Iug.* 114) inducti sunt, v. praeter Sallustii interpretes (ad. l. m.), Pauly *R. E.*[2] II p. 2551. — *impetrare non potuit*] Caepio respondit secundum Dionem τὴν ἑαυτοῦ ἑκάτερον δεῖν φυλάττειν i. e. *uterque quae in sua provincia esset ripam Rhodani tueretur*, nam, ut apud Orosium (V, 16, 2) est, *provincias sibi Rhodano flumine medio divi-*

serant, ita ut Mallius sinistram, Caepio autem dextram ripam fluminis teneret. *et cum Rhod. traiecisset*] i. e. Caepio (v. s.), qui primo recusaverat, tamen in sinistram ripam transgressus erat (cf. Dion. l. m. καὶ ἦλθε μὲν πρὸς αὐτὸν) atque castra inter Mallium et Cimbros posuerat, ut prior ab hostibus peteretur. —

B. *ne communicare quidem — iungeret*] v. locum Dionis quem supra attulimus. — *legatos q. s. miserat*] de legatione, quam solus Licinianus memorat, missa 'a senatu ut concordiam inter duces conciliaret, dubitat Franck. (l. m. p. 255); Mommsenus contra hanc Liciniani narrationem veram existimat, atque Neumannus (a Dieckmanno laud. p. 30 in adn.) idoneam eam iudicat ad illustrandum quam debile et infirmum tum fuerit imperium senatus. Cum vero Caepio in sinistram ripam Rhodani transgressus esset, narrat Dio duces a militibus coactos esse ad colloquium convenire, sed acriore ira inflammatos discessisse. — *auscultare*] v. l. m. in *Riv. di Fil.* p. 274 adn. — *Cimbrorum legatos*] secundum Dionem Cimbri, quibus nondum erat nota Mallii et Caepionis discordia, ingentibus copiis Romanorum perspectis, adeo perterriti sunt, ut legatos de pace ad consulem Mallium mitterent; cum vero Caepio id aegre ferret, ad eum quoque legatos miserunt (recte censet Dieckm. locum Dionis mutilatum esse post ἐπρεσβεύσαντο, atque ibi legendum esse πρεσβευτῶν δὲ καὶ πρὸς αὐτὸν ἀφικομένων): temere igitur Mommsenus (l. m. p. 177) et Nitzsch (*Röm. G.* II p. 123) adfirmaverunt Caepionen, quum animadvertisset Mallium cum Cimbrorum legatis agere, veritum ne ille solus gloriam conciliatae pacis nancisceretur, statim in hostes cum suo exercitu impetum fecisse (v. Dieckm. p. 31). — *agros — sererent*] Veri simillimum est Cimbros, quamvis partem Romanorum cum Scauro fugassent, ingentibus copiis Mallii et Caepionis perterritos, easdem condiciones pacis proposuisse quas anno 645 Silanus recusavisset, neque amplius postulavisse quam agros frumentumque quod sererent; nam haec demum erant quae maxime cupiebant. Itaque non recte Franckenus suspicari videtur (l. m. p. 262) Licinianum hic quoque tempora confudisse, cum ad annum 649 pacis condiciones retulisset quas Cimbri anno 645 Silano proposuissent. — *maxima pars — deleta est*] i. e. Caepionis exercitus, qui etiam Sallustio (*Iug.* 114), Tacito (*Germ.* 37), Velleio (II, 12, 2), Dione (l. m.) auctoribus, devictus est prope Arausionem (pr. Nonas Octobres cf. Plut. *Luc.* 27); contra, sed perperam, cladem Mallii ante Caepionis ponunt Orosius (V, 16, 1), Eutropius (V, 1), Florus (I, 38, 4); quod attinet ad Liv. *per.* 67 v. *Riv. di fil.* l. m. p. 282.

LIB. XXXIII (?).

Fol. I r., pag. 35 p., pag. 19 B.

A...
B.....................quod..............minus
.........eo convenerant.........quot reliqui fuerunt milia ad X..................militum calonumque non minus...milia periisse existimantur...
.......consules et equites Romani.......

A. Columna haec plane deleta est. p.

B. Huius columnae priores versus 1-13 supersunt (reliqui omnes erasi sunt ita ut legi omnino non possint p.), sed etiam horum versuum pauca sunt verba quae satis perspicue discernantur. — *quod*] in 1º versu. — *minus*] fortasse SIMINUS p., in fine tertii versus. — *eo convenerant*] in principio quinti versus. — *quod r. f. m. ad X*] p. Lectio quodammodo niti videtur litteris, non omnibus quidem certis, QUOTRELIQU· FUERUNTIIILIIA.. AIX...., atque ex ea fortasse intellegi potest quomodo factum sit ut Valerius Antias traderet (apud Oros. VI, 3, 4) ex toto exercitu Romano decem tantummodo milites superfuisse, *qui miserum nuntium ad augendas miserias reportarent.* Antias enim qui omnia, sed numeros maxime, libenter in maius extulit (v. Liv. XXX, 10; XXXVI, 38 et passim), numerum eorum qui superfuerant i. e. *decem milia* (usque ad Licinianum aliis et melioribus fontibus traditum), ut animos lectorum vehementius moveret, in *decem* mutasse videtur. In litteris vero quae supra attulimus IIILIA.. AIX.... Dieckm. (p. 33) legere vult *pugna facta est*, cum Hirschfeldii coniecturam probet, qui in litteris proxime seqq. (v. 8) RINONC...OB· diem pugnae apud Arausionem commissae, a Plutarcho servatum (*Luc.* 27) agnoscere sibi videtur, ita ut totus locus ita legendus sit: ... *eo convenerant..... quot reliqui* (*reliqui* pro *reliqua* B) *fuerunt* [*pugn*] *a* [*f*] *a* [*cta est*] [*p*] *ri* (*die*) *Non* (*as*) *O* [*ct*] *ob* (*res*). Sed contra disputari potest Nonas octobres diem fuisse quo Caepio fusus fugatusque est, non Mallius, cuius cladem Licinianus hac libri parte narravisse videtur. Igitur, ut hanc coniecturam accipiamus, opus est ut ab Hirschfeldio demonstretur aut clades Caepionis et Mallii, quod vix probabile est, uno eodemque die factas esse, aut Plutarchum, ut alii fecerunt, in errorem inductum, secundum pro tertio proelio commemorasse. — *calonumque*] B; *equitumque* (UIECIUMQ· cod.) p.; sed de equitibus paulo infra mentio est; ita ut lectio Bonnensium certa videatur (v. etiam Liv. *Per.* LXVII *militum milia octoginta occisa, calonum et lixarum quadraginta secundum Arausionem*). — ... *milia*] sic puto scribendum esse; *simul* p. (cod. SEMEL); *semul* B; nos in cod. litteris numerum latere eorum qui apud Arausionem interfecti sunt

censemus cum Franckenio (o. m. p. 250), qui proponit XLMIL; sed numerus XL, quem invenimus apud Liv. *Per.* 67 est calonum tantummodo et lixarum interfectorum, cum Licinianus dicat *militum calonumque.* — *consules et equites Romani* ....] Dieckm., ut lacuna suppleatur, proponit *ex praelio effugerant.* —

A. Hac columna res gestas apud Arausionem procul dubio Licinianus exponere pergebat, atque tertiam cladem a Romanis, quibus Mallius praeerat, acceptam narrabat.

B. Paucis versibus huius columnae qui supersunt Licinianus egisse videtur de exercitus reliquiis ac numerum attulisse Romanorum qui in triplici apud Arausionem proelio perierunt. — *quot reliqua* — *ad* X] Ex immani clade aliquot milia Romanorum effugisse, non decem tantummodo, ut scripsit Val. Antias, non solum res est ipsa per se verisimilis, sed etiam a Vegetio (*de re mil.* III, 10) quodammodo confirmata, cum doceat aliquot post annos Marium amborum exercituum reliquias repperisse. — *non minus* .... *milia per. exist.*] Valde probabile est quod Diodorus (36, 1) Posidonium Apamensem secutus narrat, i. e. toto illo bello LX circiter milia Romanorum periisse; neque multo minor eo, quem apud Livium (*Per.* 67) invenimus, numerus fuisse videtur calonum et lixarum qui exercitum sequebantur. — *consules*] Mallius et Caepio, quamquam hic, re vera, pro consule erat; sic etiam apud Eutropium (V, 1).

LIB. XXXIII (?).

Fol. VIII v., p. 9 p.

. . . .
. . . .

A. B. Haec pagina plane deleta est. p.

LIB. XXXIII (?)

Fol. VIII r., pag. 32-33 p., pag. 21 B.

A. matrona quaedam quasi mente commota sedit in solio Iovis. itaque lustratum est denuo Capitolium. et in Sabinis Martis signum in caput devolutum nuntiatur. et die quodam ante ludos qui futuri erant . . . cum tubicines apud aram concinerent, angues nigri subito apparuerunt, neque ante inter se concurrere et morsibus multis invadere desiverunt quam tubicines conticuissent, nec usquam de repente apparuerunt. Aliquot matronae eodem somnio monitae una eademque nocte decem HS sacris praestiterunt hocque sacrificatum
B. | aliquotiens. et carmen in deos ab Amata compositum nobilissimi pueri concinuerunt.

Cn. Mallius ob eandem causam qua et Caepio L. Saturnini rogatione e civitate plebiscito eiectus.

Rutilius consul collega Mallii solus supererat reipublicae. itaque cum metus adventantium Cimbrorum totam quateret civitatem, ius iurandum a iunioribus exegit, ne quis extra Italiam quoquam proficisceretur. missique per omnes oras Italiae atque portus qui praedicerent, ne ullum minorem XXXV annorum in navem reciperent . . . . . .

A. Hic illic nonnullae litterae ex margine exteriore exciderunt. — *sedit in solio Iovis*] Keil. (l. c. p. 648); SED'.NCONSILIOIOUIS cod., unde p. et B. *sedit in consilio Iovis* exhibent. B. verba cod. servaverunt, quamquam Keilii emendationem non ignorabant (qua in re a Francken. l. m. p. 239 reprehenduntur), atque in verborum indice (p. 52) ita *consilio* explicaverunt: *id est quo loco Iuppiter cum Minerva et Iunone in Capitolio considebant*, quasi tres illi dii coniuncti nescio quoddam consilium efficerent, nec suam quisque cellam separatam haberet. Etiam Schmidtius (*Philol.* l. m.) *consilio* in *solio* vel *sella* mutandum esse coniecit, cum syllabam « *con* » qua « *consilio* » incipit, nihil aliud esse quam dittographiam primae syllabae voc. « *commotae* » existimaret. Ceterum lectio « *solio* » hoc Taciti

loco (*ann.* XV, 23) confirmatur: *utque Fortunarum effigies aureae in solio Capitolini Iovis locarentur.* — *in caput*] M. et B.; *increpuit et* p. (INCRE . . IT cod.), quae lectio non neglegenda est; *signum inversum et devolutum* Schmidtius. — *die quodam ante ludos qui futuri erant . . .*] Cum Dieckmanno (p. 38 adn.) notam lacunae post *erant* pono, cum nomen dei in quem illi ludi celebrandi fuerint exspectandum videatur. Iam Schmidtius, cum animadvertisset post « *ante* » quantum otiosum esset « *qui futuri erant* », proposuit « *die quo* (hic autem supplendum est nomen dei in quem ludi celebrabantur) *ludi sacri futuri erant* »; v. etiam Franck. (l. m. p. 239). — *ante inter se*] B; ANTE . . SE cod. — *multis*] B., qui in adn. coniciunt *mutuis*; *multos* cod. et p. — *nec usquam de rep. app.*] Sic in codice perspicue legitur, neque est, quamvis mirum id genus scribendi videatur, quod dubitemus de lectione aut eam mutemus. Franck. (p. 239) « *non apparet* » inquit, *cum non denotet unam temporis momento consummatam actionem, tam inepte « de repente » adiunctum habet quam si dicas « subito non vixit » pro eo quod est « subito mortuus est »;* atque recte addit: *haec similiaque vitia quibus haec fragmenta scatent etiamsi expellas furca tamen usque recurrent.* Frustra igitur Schmidtius coniecit aut haec verba glossam esse aut in eis latere sententiam huiusmodi: *neque usquam tales serpentes antea apparuerant ;* frustra B. in adn. *direpentes* proposuerunt. V. comm. — *aliquot*] p ; *aliquod* cod. et B. — *somnio*] Bern.; SOMNO cod. — *decem* $\overline{HS}$] B.; *de dapibus* P. et p.; *de stipibus* M. (DE . . IB. cod.) — *sacrificatum*] B.

B. — *Amata*] Froehnerus (*Philol.* Vol. XV p. 302, anno 1860) *Mommsenus* — inquit — *conicit « a matre », G. H. Pertz « in deorum laudem » Bonnenses « a vate »: itaque omnes ignorare videntur Vestali Amata nomen esse* (v. Preller *R. Myth.* p. 537). In cod. vero (apud Pertzium in adn. p. 10) litterae AMATAE perspicue cernuntur. — *Cn. Mallius — eiectus*] Multas viri docti ingressi sunt vias ut explicarent quonam modo rogatio Saturnini (a. u. 651), qua Mallius in exilium pulsus est (v. comm.), hic inter res quae duobus annis ante acciderunt commemorarentur. B. censent epitomatorem nomine Mallii, quod ei post prodigiorum narrationem statim occurrerat, adductum esse ut nonnulla, quae duobus post annis facta sunt, falso hic insereret, atque totum locum secludunt. Madvigius (l. m. p. 401) id tantum notat, rem vix credibilem esse Mallium eodem anno sui consulatus (649) in exilium esse pulsum. Dieckmannus denique in praeclara sua de fontibus Liciniani dissertatione (p. 40 et seqq.) temporum erroris causam ita explicat: *Cogitari potest eum statim, clade illa narrata, de Caepionis sorte exposuisse secundum Graecum auctorem, apud quem rectum rerum per tres annos (649-50) gestarum ordinem fortasse repperit sibi ipse parum conscius, cum ille Graecus auctor vix annalium scriptorum ratione singulorum annorum res gestas explanaret; in scribendo autem eum Latinum quoque fontem inspexisse atque inde prodigia illa et fortasse alia quae ad nos non pervenerunt narrationi inseruisse; sed cum Latinum auctorem legere pergeret, vidisse se res ad Caepionem pertinentes iam narrasse; eaque de causa haec tantum addidisse, quae de Mallio scripta videmus, cum non perspiceret haec biennio posterius esse facta. Postremo Granius ad priorem fontem redisse existimandus est; nam ea, quae sequuntur, rursum in a. 649 (105 a. Ch.) incidunt.* Quae quidem omnia paulo subtiliora et spinosiora videntur. Sententia nostra, res ta se habet. Ante prodigia, iam superiore pagina, cuius ne verbum quidem nobis exstat, Licinianus poenam memoraverat qua Caepio statim

post cladem Arausionensem multatus erat (id facile colligi potest ex verbis *ob eandem causam qua* (cod. *quam*)*et Caepio*); cum autem pervenisset ubi auctor suus de eis loqueretur quae a Rutilio sine collega provisa essent, quod Mallius Roma abesset causam afferre voluit, eamque reperire posse in Mallii exilio sibi visus est, temere existimans et Mallium et Caepionem eodem anno 649 rogatione Saturnini poena multatos esse. Quae coniectura nostra probabilior videbitur si paulo infra Madvigii emendatio accipiatur « *solus supererat reipublicae* ». — *plebiscito*] Bern.: CITO cod. — *Rutilius — reipublicae*] inter verba « *collega Mallii* » et « *cum — metus* » codex exhibet: *hoc anno Cn. Pompeius natus est solus superrep. onit aeque atque Cicero*; quod glossema esse Bern. et M. existimaverunt; B. secluserunt « *superrep. onit* » ita correcto : « *solus superiore ponit* », atque parenthesi a reliquis distincto . In adn. autem addiderunt: *Granius Pompeium natum esse scripserat a. u. 647, ceteri a. u. 648, unde addidit epitomator « solus superiore ponit », et ipse ad annum 648 Cn. Pompeium et Ciceronem natos esse adnotavit: duo haec additamenta in codice confusa in narrationem anni u. 649 irrepserunt.* Quam coniecturam a Franck. (p. 248) probatam certis argumentis refutat Linkerius (o. c. p. 637 et seqq.); recte enim is negat ex verbis *Pompeius annos natus XXV eques Romanus . . . propraetore ex Africa triumphavit,* quae infra (fol. V r. A) leguntur, quidquam comperti nos habere de anno quo Pompeius natus sit aut quidquam colligi posse quod veteri opinioni repugnet, i. e. eum anno u. c. 648 natum esse: quod si hoc ipsum concedatur, negat tamen Linkerius primum aut solum Licinianum a plerisque dissentire de anno quo Pompeius natus sit (v. Vell. Pat. II, 29); negat denique, quoquo modo res se habuit, fieri potuisse ut ullus epitomator voce « *solus* », nomine non adiecto, uteretur, ut scriptorem quem excerpebat significaret, aut si quid de eo dicere voluisset, id ipsis scriptoris verbis insereret. Linkerius igitur existimavit pro « *solus superiore ponit* » legendum esse « *filius Strabonis* » vel « *salus reipublicae* » vel aliquid huiusmodi. Sed verius quam ceteri, quomodo in hunc locum tam ineptum additamentum irrepserit, explicavit Madvigius (o. m. p. 402): *Manifestum est* — inquit — *pristina verba fuisse* « *Rutilius consul collega Mallii solus supererat*; *itaque cum metus* » *etc.*; *sed, his scriptis, epitomatori Liciniano placuit de anno natali Pompei et Ciceronis addere adnotationem, quae apud fontem in fine superioris anni* (*648*) *legebatur* (cf. Dieckm. p. 44); *haec adnotatio in margine apposita ab neglegenti librario postea in duas partes discissa* (*hoc anno Cn. Pompeius natus est — atque Cicero*) *et cum altero enuntiato mixta est.* — *solus supererat reip. itaque*] Hirschfeldius, qui Madvigii coniecturam imprimis refutat, quod superiora verba *Cn. Manilius — eiectus*, non Granii esse, sed alia manu huc inserta esse censet, Dieckmanno (p. 45) commendavit: « *solus sub urbe positus* », Mommsenus autem « *super republica sollicitus* »; sed neque hoc neque illud commendatione dignum videtur. — XXXV] cod.; « *probabilius XXXXVI* » B. (in adn.). — *ullum*] Schmidtius, quia littera *m* ante *m* sequentis in codice vocabuli excidit, aut tantum ~ superposito significata erat; *ulli* p. et B. — *in navem reciperent*] suppl. B.; extremum columnae verbum est NAUEM; *in navem conscendere liceret* p. —

A. Licinianus memorat quaedam prodigia, quibus post cladem apud Arausionem, Cimbris imminentibus, Romani territi sunt. — *quasi*] v. pag. 14 in adn. — *mente commota*] Eadem qua Franckenius religione non tenemur quominus concedamus verba *mente commoveri*, cum aut sine particula *quasi* usurpari posse, ut apud poetas (v. Hor. *Sat.* II, 3 v. 209, 278) pro *insanire*. — *et in Sab.* — *apparuerunt*] Etiam apud Iul. Obseq. 42 duo ultima prodigia leguntur: *P. Rutilio Cn. Mallio coss. Trebulae Metuescae antequam ludi committerentur, canente tibicine, angues nigri aram circumdederunt, desinente cantare dilapsi; postero die excorti'a populo lapidibus enecati; foribus templi adapertis, simulacrum Martis ligneum capite stans inventum.* Qui hunc cum Liciniani loco conferat fere intellegere possit quam diverso modo duo epitomatores ex Livio excerpserint. Ex tribus prodigiis, quae apud Livium procul dubio legebantur, Obsequens quae maxime mirabilia viderentur elegit atque breviter sed accurate ea narravit; Licinianus vero nullum eorum omisit, sed studio brevitatis tertium mutilare coactus est — *et in Sabinis* — *et*] De *et* repetitis v. pag. 22 et *Riv. di fil.* l. m. p. 274 — *in Sabinis*] i. e. Trebulae Metuescae; v. supra Iul. Obs. — *nec usquam de repente apparuerunt*] intellegendum est: *statim e conspectu elapsi sunt* i. e. *per eum diem.* Etiam Dieckm. (p. 39): *sich verschwanden plötzlich.* — *de repente*] v. *Riv. di fil.* l. m. p. 274, adn.

B. *Amata*] = *Vestale.* Ex antiquissimo Vestae cultu Laviniensi et alia in Romano exstabant et id, ut nomine *Amatae*, Latini uxoris et primae Vestae sacerdotis, pontificali sermone *Vestalis* significaretur (v. Preller *R. Myth.*[3] 2, 161). — *Cn. Mallius eiectus*] Cladis ad Arausionem acceptae poenam luit primus Q. Caepio, qui male audiebat etiam quod existimabatur *aurum Tolosanum subripuisse* (a. u. 648) atque factionis popularis in odium venerat, quod consul equitibus iudicia adimere voluerat (v. Momm. *Röm. G.* II, p. 129). Cum iam statim post proelium ad Arausionem et imperium ei abrogatum et eius bona publicata essent, ut veri simillimum videtur, sequenti anno, altero plebiscito etiam a senatu expulsus est (Ascon. in *Corn.* p. 78); postremo, anno 651, a Norbano, lege Apulei Saturnini de imminuta maiestate populi Romani modo perlata, cum reus factus esset (v. fontes apud Momm. l. m. p. 180) atque damnatus, vix mortem effugit (cf. Val. Max. IV, 7, 3). Hoc loco igitur verba « *L. Saturnini rogatione* » solum referenda sunt ad verba *Cn. Mallius e civitate plebiscito eiectus*; enunciatum autem « *qua et Caepio* » supplendum est verbo « *damnatus est* », quod tantum ad priorem poenam Caepionis, quam Licinianus antea narravisse videtur, referemus. Quod ad Mallium attinet, hoc Liciniani loco illustrantur verba Ciceronis (*de Orat.* II, 28, 125) adhuc satis obscura: *Quid de Cn. Mallii . . . commiseratione dicam?*, quae cum sola de Mallio condemnato docerent, tum cur damnatus fuisset

non explicabant. Nunc eum quoque, quod male ad Arausionem pugnavisset, sive iure sive iniuria, poena multatum esse intellegimus. — *Rutilius*] P. Rutilius Rufus, anno 596 u. c. natus, cons. 649, orator insignis, iuris peritissimus, *Panaetii auditor*, *prope perfectus in Stoicis* (Cic. *Brut.* 113), anno 662 Smyrnam commigravit et litterarum studiis intentus consenuit (Oros. V, 17). Plura de eo v. apud Pauly *R. E.* sub « *Rutilii* » et Teuffel-Schwabe *Gesch. d. R. L.* I § *142*, *1*, *2*, *3*. — *iusiurandum* — *reciperent*] Haec nova sunt. Rutilii edictum ad equites tantum, non ad omnes iuniores pertinuisse putat Ihne (*R. G.* V, p. 180, adn. 1) a Dieckm. laudatus (p. 45). Alia a Rutilio prudenter provisa memorat Valerius Maximus (II, 3, 2).

LIB. XXXV.

Fol. VII r., pag. 35 p., 23 B.

A. ipsum facere nisi quod illa suasissent. placuit, id quod nunquam alias, pro collegio quid in libris fatalibus scriptum esset palam recitare. constabat notari carmine, Cinna sexque tribunis patria pulsis, tranquillum otium et securitatem futuram.

Referam auspicium et superiore casu Mario oblatum. nam, cum de conclavi fugiens barbarus apertum reliquisset, egressus videt asellum, forte obiectis ei pabulis, aquam petere. Idem sibi praecipi ratus oraverat ut se ad mare deducerent, atque ita evaserat.

Is ergo cum mille circiter numero collectis ad Cinnam
B. navi pervenit Telamonem. profectus ex | Hispania Brutus ceterique exules ad eum confluxerunt. et cum deformis habitu et cultu iis videretur qui eum florentem victoriis norant, supplicemque se omnibus quasi oppressum ab inimicis commendaret, mox legionem voluntariorum conscripsit, Cinnaeque tradidit milites et praecepit ut, Sertorio et Papirio itemque Milonio traditis exercitus partibus, quam celerrime ad urbem veniret, quam desertam videret. Cinnae successum hoc est a Pompeio, qui si prompta voluntate, antequam ille valere coepit, rem publicam opportune adiutum vellet ire, facili negotio eum oppressisset. interea subrepserat Marius in Ostiensem portum, ubi

---

A. *suasissent]* M. Flemisch (l. m. p. 267); EVASISSET cod.; *i. f. n. quod illa evasisset* p. e B.; Francken. (l. m. p. 241) *i. f. n. quod illaesum misisset;* in fine enim superioris paginae nunc deperditae conicit fuisse *censet senatus non videri quicquam contra rempublicam;* i. e. *senatus censet non videri quicquam contra remp. ipsum (Octavium) facere nisi quod illaesum (Cinnam) misisset. — carmine — tribunis]* restituit M. — *referam*] B.; *repetam* Bern.; *praeterea auspicium est* M., PETERAT cod. — *de conclavi]* cod. (v. comm.); *conclave* B.; at non bene dicitur *conclave fugiens* de eo qui inclusus eva-

dit. — *obiectis ei pabulis]* hanc Pertzii lectionem praefero lectioni Bonnensium *abiectis cibariis*; melius enim congruit cum V. Maximi loco (I, 5, 5): *animadvertit enim asellum cum ei pabulum obiceretur* etc. meliusque praecedenti adverbio « *forte* » connectitur; *clitellis* Bern. — *praecipi]* M. — *atque ita]* codicis litteras ATUIX aut ACCITA (nam ACCITA primo se legisse in membrana p. adfirmat) ad formam ADQ·ITA bene redegit Keilius (p. 612); *ac vix* B.; *eaque via* M. (cfr. App. *B. C.* 1, 62). — *numero]* cod. NUMERIS. De voc. *numero* apud Frontonianos v. M. Flemisch. (l. m. p. 266); *Numidis* Bern. — *Telamonem]* optime restituit p. (cf. Plut. *Mar.* 41); B. lacunam notant ante « *profectus* », sed in adn. Pertzii coniecturam probant. — *ex]* ipse scribo; *et ex* B.; *et* p. cum cod.

B. Exterioris marginis particula, trium fere litterarum spatium complectens, avulsa est. p. — *ceterique]* M — *confluxerunt]* M.; — *iis]* p.; B. cum M. *ab iis;* sed et *iis videretur* hic melius dicitur quam *ab iis vid.* et in hoc membranae loco spatium tantum tribus litteris manet. — *oppressum]* cum Schmidtio (l. m.) scribo; *oppressus* B.; codex, si p. bene legit, *oppressus* praebet. Utrum tamen librario an ipsi Liciniano debeamus hanc ineptam ex Graeco sermone imitationem, id iniudicatum relinquo. — *voluntariorum]* M. B.; *voluntariam* p. — *et praecepit — ubi]* totus locus in cod. tam corruptus est, ut pauca tantum (ex quibus perspicue Marianorum ducum nomina) legi aut restitui possint. Sententiam igitur indicasse cum B. nobis suffecit.

A. Hoc et seq. folio per quattuor continuas paginas de bello civili Mariano (u. c. 667), sive, ut alii scribunt, Octaviano, narrat Licinianus, qui antea et proelium in viis urbis inter consules commissum et Cinnam ab Octavio oppressum et magistratu a senatu privatum necessario commemoraverat. (V. Mommsen. o. m. II, p. 305-307). — *ipsum*] i. e. senatum. — *nisi quod illa*] i. e. nisi quod Sibyllina carmina praeceperant. Cum leges reipublicae, Cinna magistratu remoto atque ex urbe expulso procul dubio laesae essent, ut res honesta praescriptione tegeretur, consilium illud divinum, quod a Granio commemoratur, in libris Sybillinis exquisitum vel fictum est, idque pro collegio (i. e. X̄ virorum) a senatu promulgatum. Quamquam de hoc « *carmine* » solus Licinianns mentionem facere videtur, cf. tamen, ut Neumannus (*R. G.* I, p. 547) monet, Cicer. *de div.* II, 4. — *nunquam alias*] De hoc dubitat Diels (*Sybill. Blätter* p. 17 adn. a Dieckm. adl. p. 51 adn.). — *sexque tribunis*] qui Cinnae partes secuti erant (Liv. *Per.* 79). — *Referam auspicium* etc.] Novum occurrit testimonium vel imperitiae vel neglegentiae epitomatoris, qui dum tumultus Cinnanos anno 667 factos narrat, ad auspicium anno superiore Mario Minturnis oblatum subito redit, idque huic loco inepte inserit. Eandem narratiunculam, quibusdam mutatis, etiam Plutarchus (*Mar.* 38) et Val. Maximus (I, 5, 5) afferunt. — *superiore casu*] ex fuga ad quam superiore anno coactus fuerat. — *de conclavi*] *fugere de* corruptae Latinitatis est. Cf. Mart.

IX, 18; Quint. VI, 1, 19. — *barbarus*] servus ille Cimber qui Marium interficere non ausus est. — *oraverat — evaserat.* Temporibus plusquamp. ipse Licinianus lectorem monuisse videtur hanc historiolam additamentum esse.

B. — *cum mille circiter numero — Telamonem*] cf. Plut. (*Mar.* 41) παραλαβὼν ἐκ τῆς Λιβύης Μαυρουσίων τινὰς ἱππότας καὶ τῶν ἀπὸ τῆς Ἰταλίας τινὰς καταφερομένων, συναμφοτέρους οὐ πλείονας χιλίων γενομένους, μεθ' ὧν ἀνήχθη, προσβαλὼν Τελαμῶνι τῆς Τυρρηνίας. — *Brutus*] M. Junius Brutus, praetor anno u. 666 a Sulla proscriptus, solum apud Licin. inter exules cum Mario in Italiam reversos nominatur: hinc id quoque discimus eum in Hispaniam tunc secessisse. De huius viri morte v. Liv. *Per.* LXXXIX. — *et cum deformis — milites*] cf. App. l. m. I, 67, Plut. *Mar.* 41. — *Sertorio — partibus.* Quattuor fuerunt duces apud Livii epitomatores (Liv. *Per.* 79; Flor. II, 9, 13; Oros. V, 19, 9): Marius, Cinna, Carbo, Sertorius; tres apud App. (c. 67), cui assentitur Plutarchus (*Sert.* 5, 3), qui Carbonem non ducem, sed Cinnae legatum existimat. — *Papirio*] Cn. Papirio Carboni cons. a. u. 669. — *Milonio*] C. Milonium senatorem, quem cum Sertorio alteroque C. Mario ad Cinnam confugisse tradit Appianus (l. m. 65), solus Licinianus inter duces enumerat; sed Milonium legatum potius Marii vel Cinnae fuisse facile concluditur ex iis quae pag. seq. narrantur. — *Pompeio*] Cn. Pompeius Strabo, Magni pater, cons. anno u. 665. Is in tanto reipublicae periculo haesitantem et incertum se praebuit, quod frustratus spe continuandi magistratus (Vell. Pat. II, 21, 2), nunc arbitrabatur adesse occasionem consilii sui perficiendi, si senatui non salutem ferret nisi pretio consulatus (v. Momm. o. m. II, p. 295). — *valere*] i. e numero militum.

LIB. XXXV.

Fol. VII v., pag. 36-37 p., pag. 25 B.

A. cum ad noctem usque mansisset, Ostia urbe potitur per Valerium cuius equites praesidebant. nec Pompeius a Sertorii bello abstinuit, sed palam pugnavit. et frustra legati ultro citroque missi sunt, cum se Cinna superiorem existimaret. Marius cum suis Ianiculo potitur multis occisis. qui . . . . iugulati sunt. et Octavius, acceptis sex cohortibus a Pompeio, tum tradidit se inimico. Milonius occiditur, ceteri submoventur, quos subsidio Milonio Sertorius miserat. Ceciderunt Octaviani sex milia et senator unus, Aebutius, adversariorum septem milia. Potuit capi Ianiculum eodem
B. die. | Pompeius ultra Octavium progredi passus non fuit, sed ut Crassum revocaret impulit, ne ante debellaretur quam comitia conficerentur, ut eum magistratum ipse invaderet, quia timebat urnam. et Metelli castra in propinquo erant, quem Catuli duo et Antonius, senatus legati, ut patriae subveniret, oraverant.

Bello quod inter Pompeium et Sertorium fuit, ignobilis quidam miles Pompei, dum spoliat hostem, fratrem adgnovit. exstructo rogo, dum iusta persolvit, multa imprecatus, gladio se traiecit. maximumque omnibus praesagium belli civilis casus hic

---

A. Prior marginis pars avulsa est ita, ut tres fere litterae desiderentur p. — *cum]* B.; *sed navigio* p.; (. . . . . IO cod.). — *mansisset]* B.; (MA . . . S cod.) — *per Valerium]* B.; *per L. Valerium* p. (v. comm.). — *a Sertorii bello abstinuit]* recte proponit M. Flemisch (l. m.); cfr. Iust. 12, 2, 11: *Alexander bello Apulorum abst.; a Sertorio bello abstinuit* p. (ASERTORIOBEL . . . BSTINUIT cod.); *a Sertorio bellum abstinuit* B. — *legati — existimaret*] Sic B. locum in cod. corruptum probabiliter emendaverunt. M. proposuerat: *legati ultro citro remissi sunt, ut unum se Cinna superiorem appellaret;* Keilius (l. c. p. 648) Appiani verbis (*B. C.* I, 69 τοῦ δ'ἄστεως ἑκατὸν — διὰ μάχης μιᾶς) nisus, conicit: *cum se Cinna superiorem senatus*

putaret. — *Ianiculo potitur*] M. — *qui ...... iugulati sunt*] B., qui in adn. locum corruptum punctis indicatum sic emendandum censent: *qui deposuerant arma.* Nos conicimus: *qui capti, iussu Marii,* vel *qui capti, ut Marius iussit, iugulati sunt* (QUS ... DILAMARIUS cod.) — *tum tradidit se inimico*] Miror Bonn. edd. atque fere omnes qui in emendandis Lic. reliquiis versati sunt litteras cod. TRADIDISSEINIMICO plane neglexisse; *contra ... ibi* M.; *obiicit se inimico* p. Nos adverbio *tum* litteras tres avulsas supplevimus; quod ad ceteras attinet, ita interpretamur *tradidit se inimico* quasi dicatur *totum se in hostem immisit* aut Italice « *si precipitò sul nemico a corpo perduto* ». — *Milonius*] M. — *submoventur*] M.; — *ceciderunt*] B.; *ibi perierunt* M. — *sex*] p. B. sed numerus incertus, cum tres litterae *milia* praecedentes in cod. exciderint. — *Aebutius*] M.

B. *potuit capi — impulit*] Sic cum Franck. (p. 241) et Dieckmanno (p. 56 adn. 5) in hunc locum lectionem Pertzii restituimus, reiecta Bonn. coniectura: *potuit capi Ianiculum eodem die* < *nisi* > *Pompeius ultra Octavium progredi passus non fuisset — et ut Crassum revocaret impulit* —; Ianiculum enim eo die re vera captum est, ut verba superiora *ceteri submoventur* et Appianus (l. m. 68) et Liv. *Per.* 80 testantur. — *eum*] B. (EŪ cod.); nos *ambītum* conicimus. — *quia timebat urnam. et*] Sic procul dubio legenda sunt verba cod. QUI TIMEBATURNĀ; *qui timebatur*; *nam* p. et B. qui adnotant: « *quia timebat urnam. et* » *legeremus nisi quod Horatio* (*Sat. II, 1, 47*) *licuit historiarum scriptori non licuisset.* Haec est profecto praesertim in emendando Liciniano, puri sermonis nimia religio; ceterum « *qui timebatur* » vix aliquem sensum praebet. Hirschfeldius proponit (apud Dieckm. p. 57 adn. 2) *dum timebatur; nam* etc. — *senatus*] sic recte emendavit Keilius (p. 642 pro SENEX quod cod. exhibet; v. comm.) — *ignobilis quidam*] in cod. post « *hostem* » leguntur; in hunc locum transposuerunt B. — *imprecatus*] *precatus et imprecatus* cod.; « *precatus et* » *quod librarium iam punctis induxisse suspicamur, delendum.* B. — *praesagium*] B. *praeludium* P.

A. *Ostia urbe potitur*] per proditionem Marium Ostia potitum esse etiam Plut. (*Mar.* 42) tradit. Appianus dicit tantum Ὠστίαν εἷλε καὶ διήρπαζε, neque cum hac proditionis narratione tantum pugnant, quantum Dieckmanno videntur (praef. p. 55), verba *Per.* Liv. *Ostiam coloniam Marius expugnavit et crudeliter diripuit.* — *per Valerium*] nomen ducis cuius proditione Marius Ostiam occupaverat, ignorabatur: fuisse tamen, ut Pertzius putat, L. Valerium Flaccum, quem a. 668, post mortem C. Marii, eius loco collegam sibi a L. Cornelio Cinna allectum esse accepimus, plane incertum est. — *nec Pompeius — abstinuit*] Duo proelia fuerunt, alterum inter Sertorium et Pompeium ad portam Collinam, alterum inter Marium et Octavium in Janiculo, simulque gesta sunt. — *palam*] = *sine haesitatione.* — *legati — existimaret*] De legatis invicem ab utraque parte missis statim post pugnam inter Pompeium et Sertorium nulla apud quemquam est mentio, praeter Licinianum, qui fortasse, more suo, hic quoque tempora confudit (v. Franck. Diss. p. 242; in contr. Dieckm. p. 56 adn. I). Verisimile enim est auctorem Liciniani narravisse tum

Strabonem, missis ambagibus, cum Sertorio *palam* pugnasse, cum condiciones foederis a Cinna, qui se superiorem existimaret, reiectae essent. Cum Cinna vel Mario Strabonem clam ante proelium communicasse consilia, colligimus ex loco Orosiano V, 19, 10: *Cn. Pompeius qui ... diu sese novarum rerum aucupatione suspenderat, contemptus a Mario vel Cinna ad alterum consulem sese contulit* etc. et *Per.* Liv. 79. — *Marius Ianiculo pot.*] Narrat Appianus (I, 68) Appium Claudium trib. militum, qui Ianiculo praeerat, ut Mario beneficii nescio cuius gratiam referret, ei portas aperuisse; tum Marium etiam Cinnam cum exercitu in urbem recepisse. — *Sex cohortibus*] cohortium numerum quas Pompeius Octavio auxilio misit ex Liciniano solo habemus. Secundum Appianum ipse Pompeius cum suis in auxilium venisse videtur: Ὀκταβίου καὶ Πομπηίου ἐπιδραμόντων. — *Milonius*] senator cum Sertorio et C. Mario altero ad Cinnam fugit. Id tantum de eo apud Appianum (c. 65); nihil apud ceteros rerum scriptores.

B. *Pompeius — conficerentur*] Crassus Marium insequens extra urbem proruperat cum parte exercitus, sed Pompeius qui res trahere cupiebat usque ad comitia consularia, quominus extremam cladem ille Marianis inferret, prohibuit. — *passus fuit*] v. Madv. *G. L.* § 344 — *Crassum*] P. Licinius Crassus Dives Lusitanicus aut eius filius (cf. Drumann. *R. G.* IV p. 70, 32) aut, ut censet Wijnnius (l. m. p. 358), Crassus ille quem unum ex Sullanis ducibus fuisse commemorat Appianus (*B. C.* I, 90). — *timebat urnam*] repulsam consulatus timebat, si senatus, devictis Cinnanis, praesidio suo iam carere posset. — *Metelli*] Q. Caecilius Metellus Pius, a Nola, quam obsessam tenebat, rogatus a senatu ut patriae auxilium ferret, cum magna parte exercitus Romam appropinquabat. — *Catuli duo et Antonius*] Solus Licinianus nomina legatorum tradit. Hi fuerunt Q. Lutatius Catulus senior, qui a. 652 consulatu functus erat quemque hoc ipso anno 667 ignis haustu sese ipsum interemisse tradit Florus (II, 9), et Catulus iunior consul a. 676 de quo v. Vell. Pat. (II, 43) et Flor. (II, 11). — *Antonius*] si quidem is fuit M. Antonius orator, eo tempore LVI annos numerabat; *senex* igitur, ut in codice legimus, vix appellari poterat. — *Bello quod i. P. etc.*] Hanc historiolam quam primus Sisenna narravisse videtur (Tac. *Hist.* III, 51) praebent iisdem fere verbis Liv. *Per.* 79, Oros. V, 19, 12, 13, Val. Max. v, 5, 4, August. *de civit. dei* II, 25, 5. — *Bello*] pro *proelio*, v. *Riv. di Fil.* l. m. p. 274 adn.

LIB XXXV.

Fol. III, v., pag. 38 p., pag. 27 B.

A. attulit mentesque mutavit, nec quisquam omnium a lacrimis potuit temperare.

Nolani progressi oppidum Abellam incenderunt. Marius Servilium apud Ariminum fugat, paucos occidit, reliquos quos corruperat accipit in deditionem. senatusque per Metelli legatos consultus de voluntate Samnitium qui se negabant aliter in pacem venturos, nisi civitas ipsis et perfugis omnibus daretur bonaque redderentur, abnuit, dignitatem antiquam P. R. tuentibus patribus. quibus cognitis Cinna per Flavium Fimbriam leges quas postulabant concedit et copiis suis iunxit.

B. Nec | desinebat Pompeius interim miscere omnia. et cum senatum videret aversari omnes exules maximeque Cinnae causam, suasit tamen ut legati a Cinna missi tuto reciperentur. et clam cum Cinna consilia sociabat et Octavio tegebat. dediticiis omnibus civitas data, qui polliciti multa milia militum vix XVI cohortes miserunt. et pestilentia vastatus exercitus, ita ut ex Octavianis partibus decem et septem milia hominum deperirent. Pompeius minus validus cum in lecto decumberet, orta tempestate, et ipse fulmine afflatus est et culmen tabernaculi dissipatum. Nec spem vitae ostendit.

A. *Attulit*] p. (AETULIT cod.); *obtulit* B. — *Abellam*] B., *Abella* cod. — *corruperat*] cod.; *corrupuerat* (= *corripuerat*) B.; Franck. (p. 238) proponit *quos in urbem compulerat* aut *circumdederat*, sed alterum longius est pro numero litterarum in cod., alterum hoc loco non idoneum. Ipsi conieciebamus « *conterruerat* » sed, re melius considerata, cod. lectionem servavimus. — *nisi civitas* — *redderentur*] Schmidtius (p. 225) ita censet verba transponenda: *nisi civitas ipsis daretur et perfugis omnibus bona redderentur;*

sed idem qui in Licin. codice, est verborum ordo apud Dionem Cassium (fr. 100, 7) . . . τήν τε γὰρ πολιτείαν ἠξίουν οὐχ ἑαυτοῖς μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ηὐτομοληκόσι πρὸς σφᾶς δοθῆναι κτλ., atque erat fortasse apud Livium a quo plurima Dio sumpsit in describenda historia reipublicae liberae (v. Dieckm. p. 63). — *perfugis*] M. PERIUCIS cod. — *bonaque redderentur*] B.; *bona r.* M. et p. — *dignitatem - patribus*] Sic locum in cod. corruptum (DIGNITATEMANTIREM PRA E | SENTIB·PATRIB·) bene emendavit Franck. (p. 238); *dignitatem ante rem publicam ponentibus patribus* M. p.; *dignitatem antiquam prae se ferentibus patribus* B. — *leges — concedit*] p. idem coniecit M.; *leges quas postulabant EORECEPIT* cod. unde cum Bern. B. scripserunt: *in leges quas postulabant eos recepit;* sed *recipere in leges* vix dici posse videtur; neque enim cum hoc comparanda sunt *recipere in deditionem, ius* etc. quae alius sunt generis.

B. *interim miscere*] B.; *intermiscere* p.; IN . . . MISCERE cod. — *cum senatum videret*] M.; *cum in s. v. adv. omnes Sullae metu Cinnae causam* p.; *et cum senatu videretur* etc. ut in textu, B.; codex corruptus. — *et clam*] M. *tegebat* M.; *detegebat* perperam apud B. — XVI] B.; XV . . p. qui adn. « *an XVI aut XVII?* » —

A. *Nolani - in deditionem*] Haec alibi non traduntur. Contra omisit Licinianus quae inter Metellum et Samnites antea erant acta et proelium quo, post Metelli discessum, huius legatus Plautius a Samnitibus fusus est (v. Momm. o. m. II, p. 309-10). — *progressi*] inepte, cum non dicatur ubi antea Nolani constiterint. — *Marius — in deditionem*] Ex Campania transit Licinianus ad extremas Umbriae oras. — *Servilium*] Pertzius recte conicit hunc fuisse P. Servilium Vatiam, qui postea Isauricus appellatus est (de quo v. Pauly *R. E.* vi, 1, p. 118 n. 40). — *apud Arim. fugat* etc.] Non de Arimini expugnatione hic agitur, quod oppidum iam ante pugnam in Ianiculo factam in Marianorum potestatem venerat. Ex verbis Liciniani igitur concludendum est, ut putat Franck. (p. 256), Servilium rursus Ariminum Marianis eripere voluisse, sed ab oppido repulsum et fugatum esse. — *quos corruperat*] = *quos ad suam sententiam perduxerat* i. e. quibus suaserat ut arma abicerent aut ad se transfugerent. *Per.* Liv. LXXIX: *Cinna . . . corruptum Appii Claudii exercitum in potestatem redegit.* — *Senatus per Metelli leg. — patribus*] Iamque ad Samnites et Nolanos Arimino redimus per transitum qui nullam habet nisi brevitatis commendationem, i. e. « *que* »; sed id gravius, quod denuo ordinem rerum hoc loco perturbatum sentimus; cum enim superiore pag. narratum sit Metellum in propinquo urbis esse, nunc de ea legatione ad senatum inducitur sermo, quae procul dubio Romam venit cum Metellus nondum Campaniam reliquerat. — *de voluntate*] = *de postulatis* v. *Riv. di Fil.* l. m. p. 274 adn. — *in pacem venturos*] = *pacem accepturos* v. *Riv. di Fil.* ibid. — *perfugis*] Romanis qui ad Samnites profugerant (v. Momm. l. m.) — *bona redderentur*] non praedam fortasse, quae paci impedimento esse non poterat, sed agros sibi et per-

fugis reddi Samnites postulabant. — *quibus cognitis — iunxit*] iisdem fere verbis rem narrat Appianus (68). — *leges*] = *condiciones;* cf. Cat. (*R. R.* 148): *pax data Philippo in has leges;* Corn. Nep. (*Timoth.* 2): *pacemque his legibus constituerunt.*

B. *cum*] advers. — *legati a Cinna missi*] Hanc Cinnae legationem aliunde non compertam habemus (Dieckm. p. 64). — *clam cum Cinna consilia communicabat*] Vix verisimile est hoc tempore Pompeium clam cum Cinna consilia communicasse, neque temere videtur sibi persuasisse Dieckmannus (pag. 64, 65) Livium ex Rutilio, qui Strabonem ut hominem pravissimum depinxerat (Rutil. fr. 5 Müller *F. H. Gr.* III, p. 200), Licinianum autem ex Livio hanc falsam narrationem hausisse. — *dediticiis — civitas data*] Id factum est post Ianiculi expugnationem, sed ante adventum Metelli (v. Momm. II, p. 309); qui iure Romano dediticii fuerint vide apud Mommsenum (o. c. II, p. 247 in adn.); hic tamen *dediticiis* vix aliud significare potest quam hoc: *iis qui in senatus potestate se futuros dixissent.* — *pestilentia vastatus exercitus*] cf. Oros. V, 19, 18. — *Pompeius* etc.] Quae in hac et proxima pag. de morte et funere Pompei Strabonis referuntur apud nullum alium scriptorem tam copiose sunt exposita. — *fulmine afflatus*] ictus atque saucius (App. 1, 68; Oros. V, 19, 18). De loco Obseq. (56) « *ipse Pompeius afflatus sidere interiit* » docte disputat Dieckmannus (o. m. excurs. II, p. 91 et seqq.); v. etiam Wölffin in *Archiv für lat. Lex. u. Gr.* vol. XI (20 dec. 1898) p. 4. Cfr. Momm. II, p. 310 in adn.

LIB. XXXV.

Fol. III r., pag. 39 p., pag. 29 B.

A. itaque per aliquot dies exercitus sine duce fuit. et quia sanari nimis lente videbatur, decretum est ut C. Cassius in castra missus exercitum susciperet, dum ille convalesceret. ad quem Pompeius nuntium repente se erigit .... esse contentus .... adulescentes Pompeio .... Cassio. tertio post illum diem Pompeius spiritum reddit. eius funus populus .... diripuit, mortuumque lecto decussum per caenum trahere non destitit. omnibus consentientibus dignam caelo poenam et perfidiae et avaritiae pessimum hominem expendisse. sed patres et tribuni,

B. repressa multitudine, cadaver | super ingestis texerunt vestibus, traditumque est in lecticula vulgariter eum elatum sepulturae datum. Pompeianos Octavius in sua castra traducit. et copias Metellus contra Cinnam produxerat, cum milites repente ordinibus totis clamore exercitum Cinnae salutant et resalutantur. territus re nova Metellus exercitum reducit atque ipse inter primos ad Cinnam de pace legatum P. Crassum decernit. regresso Crasso ... ac iurgante cum Metello .... commisso cum Fimbria proelio infelici, ter devictus neque occisus, cum Metellus ....

A. Compluribus huius columnae locis codex aut mutilus aut corruptus est. — *itaque per*] B. — *exercitus — convalesceret*] sic potius sententiam quam textum loci mutili et corruptissimi restituerunt B., nisi quod ubi illi « *quia sanari non posse videbatur* » scribunt, nos « *quia sanari nimis lente videbatur* » conicimus, nam B. lectio cum sequenti « *dum ille convalesceret* » mirum in modum pugnat. — *ad quem Pompeius nuntium*] B.; *ad quam P. rem* Keilius (p. 617). — .... duo verba quae post « *se erigit* » prima in codice

subsequuntur esse posse videntur « *legato accito* » (LEGA.. ACIOI). — *tertio post illum diem*] *tertium post diem* B., sed iure monet Keilius (p. 647) ante «*Pompeius*» lacunam maiorem esse quam ut vocabulo quattuor litterarum suppleri possit. Cum « *mensem* » ab eo propositum multis de causis hoc loco non sit idoneum, nos « *tertio post illum diem* » scripsimus. — *spiritum reddit*] Hirschfeldius (apud Dieckm. p. 92, adn. 3); MIRAT...... OIT cod.; *moritur*, quod lacunam non supplet, cum Momm. p.; *mira tabe* B., sed cum Pompeius fulminis afflatu (i. e. παραλύσει qua fulmine tacti interdum afficiuntur) absumptus sit, « *mira tabe* » hoc loco non opportunum videtur; *animam efflavit* Keil. — ....] B., qui adnotant: *est qui coniciat « urbanus »; Romanus* p. Keilio et Dieckm. probantibus (....PADANUS cod.), cum littera M spatium trium litter. PAD implere possit; at, ne hoc quidem concesso, tota lacuna impletur. Ipse conicio « *ira incensus.* » — *diripuit*] M.; *dirrupuit* in adn. coniciunt B. sed frustra; DIRRUIT cod. — *lecto decussum*] rest. Keilius secundum Plutarchum (*Pomp.* I): κατασπάσαντες ἀπὸ τοῦ λέχους; *ferro percussum* B. *unco suspensum* M. — *per*] B. — *pessimum*] Keil.; *nequissimum* B. (FESSTSIDUM cod.). — *patres*] p. B.; Schmidtius proposuit « *praetores* », quod vocabulum « *patres* » brevius sit pro ORA..RES datum a cod.; sed Pertius notat primoquidem in codice se legisse PA. || RES, quod sine dubio recipiendum est.

B. *ingestis — est*] coniecierunt B. (qui tamen « *traduntque auctores* » scribunt a nobis mutatum in *traditumque est*), cum cod. in primo et secundo versu alterius columnae lacunas praebeat. — *lecticula*] B.; *lecticulum* cod. — *produxerat*] p.; *duxerat* B. — *ordinibus*] M.; B. in adn. *est qui coniciat « vexillis. »* — *legatum P. Crassum decernit. regresso Crasso*] Bursianus (*Jahr. f. kl. Phil.* [1858] V, 77, p. 650), qui tamen *M*? pro *P* ponit; *de pace legatum mittit. de...... regresso Crasso fugaci* p. — ....] B.; versus 19-22 ita corrupti sunt ut fere duo aut tria tantum vocabula certe distingui possint. In fine alterius et vicesimi versus est in cod. MISSCOUM, ubi Franck. (p. 243) legit: *commisso cum* (i. e. *commisso cum Fimbria praelio*); sed, hac correctione adhibita, etiam « *devicto neque occiso* » (cod.) mutandum est in « *devictus neque occisus* », ita ut habeamus: *commisso cum Fimbria proelio infelici, ter devictus neque occisus*, quod in textu scripsimus. — *infelici ter*] B.; *infeliciter* p. — *cum Metellus*] B., qui, codicem secuti, praebent: *Fimbria proelio infelici ter devicto neque occiso cum Metellus* (v. comm.)

A. *C. Cassius*] Sic conicere licet a nomine « *Cassio* » quod paulo infra in cod. perspicue legitur. Qui is fuerit non liquet (*paene Crassi nomen substitueris* Franck. p. 257). — *Ad quem P. nuntium — Cassio*] Videtur Licinianus hic narrare quid in Pompei tabernaculo acciderit decreto senatus nuntiato. — *eius funus — non destitit*] cf. Jul. Obs. (56): *lectum eius populus diripuit, corpus unco traxit.*

B. *vulgariter*] = *nullo apparatu*; v. *Riv. di Fil.* l. m. — *Pompeianos traducit*] Id tradit solus Licinianus. — *copias produxerat*] Metellus et Octavius Marianis sese opposuerunt ad montem Albanum (App. 69). — *cum milites — resalutantur*] Etiam Liv. epitomator (*Per.* 80) rempublicam Cinnanorum in manus tunc venisse testatur *propter segnitiam et perfidiam ducum et militum qui corrupti aut pugnare nolebant aut*

in diversas partes transibant. — *Metellus* — *decernit*] Fuisse Metellum qui in urbem reduxerit exercitum atque suaserit ut Crassus legatus ad Cinnam mitteretur, a solo Liciniano accipimus. Appianus (69) hoc dicit tantum, legatos ad Cinnam missos esse. — *iurgante cum Metello*] loco corruptissimo, qui in codice est, post haec verba, fortasse traditum erat (v. Franck. p. 243) Crassum, cum ad Cinnam pervenisset, eum salutare consulem recusasse (v. App. 69) atque ob eam rem a Metello reprehensum esse. — *Fimbria etc.*] Nihil de hac pugna invenimus apud ceteros rerum scriptores. Cum autem, post ea quae modo narrata sunt, verisimilius existimavissem Metellum a Fimbria quam Fimbriam a Metello ter proelio devictum esse, verba codicis, ita ut sensus postulabat, mutavi. Est qui coniciat hanc pugnam cum Fimbria multo ante legationem ad Cinnam factam esse, Licinianum autem, temporis ratione violata, hic eam interposuisse.

LIB. XXXV.

Fol. VI v., p. 39 p., pag. 31 B.

. . . .
. . . .

A. B. In columnis huius paginae nihil continuati et connexi, sed pauca tantum verba hic illic legi possunt: ex nominibus tamen « *Dorylai* » (DOLILAI cod.) « *Archelaus* » patet hic Licinianum egisse de bello Mithridatico, cuius narratio foliis quae sequuntur continuatur.

LIB. XXXV.

Fol VI r., pag. 39-40 p., pag. 33 B.

A. .... Sulla Athenas reversus in principes seditionis et noxios animadvertit violentius, conservatis reliquis.. .... quinquaginta milia peditum equitumque cum Dorylao praemittit et quadrigas essedasque septuaginta eis addit. Archelaus decem circiter milia .... collegerat et .... longis navibus insulas vastabat. primo die fugati Pontici et Archelai filius occisus, deinde, fuga suppressa, se noctu in operibus continebant. sed ferocius impetus factus, et milites nostri castra |

B. capiunt, hostium multitudinem innumerabilem concidunt, amplius XXV milia capiunt quae postea sub corona venierunt. Archelaus parvulo navigio Chalcidem deportatur. regii qui Abderae praesidebant, captis Philippis, dilabuntur.

Colloquium Sullae et Archelavo in Aulide fuit et condiciones impositae, si rex pacem mallet. quibus ille tandem paruit. nam et Fimbriae adventum timebat, ut mox ordine indicabo, et se de conventis nihil novaturum Sulla praedixerat. fuerunt autem hae: Archelavus classem traderet Sullae, rex insulis omnibus, Asia, Bithynia,

---

A. Margo huius columnae exterior avulsus est, ita ut tres fere litterae desiderentur, p; adde quod plerique versus ita sunt corrupti ut B. sensum potius hariolati sint quam verborum contextum interpretati. — ....] B.; .... NUS cod. — *conservatis reliquis*] Sic, secundum Appianum (39) atque ut sensus loci poscere videtur, lectionem cod. NECATISRELIQUIS (bis rep.) correximus (cfr. Cic. *de Off.* I, 11, 35: *parta autem victoria conservandi ii qui* etc.); *necatis reliquis* p. et B.; quae sequuntur (v. 5-10) insanabilia videntur (v. comm.) — ..... *quinquaginta*] ante « *quinq.* » iam B. viderunt supplenda esse « *Mithridates copias auget et* ... » — *quinquaginta — equitumque*] B. coniciunt. — *praemittit*] cod. *mittit* B.; — *essedasque*]

sic nos ; *essedas* p.; *falcatas* B., sed *essedas* melius respondet cod. letteris. — *eis*] addiderunt B.; ... cod. — *decem circiter milia*] sic nos, Orosium (VI, 2, 6, 7) et Appianum (*Mithr.* 49) secuti; *septuaginta circiter milia* nescio quomodo in textu scripserunt B. et in adn.: *est qui coniciat « Archelaus ubi LXX circiter »* — *die*] nos supplevimus cum Plut. (*Sull.* 21); v. etiam M. Flemisch (l. m.) — *fuga suppressa*] B. — *se noctu - continebant*] sic bene conicit Traubius (cf. Plut. *Sull.* 21 κατακλεισθέντας εἰς τὸν χάρακα μοχθηρῶς κτλ.), ut apud Mich. Flemisch (l. m.) videmus; *praefectorum imperio continebantur* B., quae coniectura litteris codicis parum respondet. | *sed ferocius*] cum Flemisch.; *sed ocius* B. et p. .... RSEDOCIUS cod. — *Abderae*] M.; AUDERE cod.

A. *Sulla Ath. reversus*] Quo tempore Sulla Athenas redierit res est quidem controversa; errare támen videtur Pausanias (I, 20, 6), cum tradat Sullam, cum Athenae caperentur, in Boeotia fuisse et eodem die apud Chaeroneam vicisse, deinde Athenas revertisse. Statuendum potius est Sullam, Athenis captis (kal. Mart. a. u. 668), in Boeotiam se contulisse, ibique eodem mense Martio Ponticas copias apud Chaeroneam fudisse, deinde, aestate anni 668, Athenas redisse, ut principes seditionis poena afficeret. — *principes seditionis*] i. e. magistratus et fautores Aristionis Atheniensis, Epicurei, cuius opera Mithridates Graecos ad seditionem impulerat (v. Plut. *Sull.* 11; Dion. Cass. fr. 124; App. *Mithr.* c. 39; Paus. I, 21, 6); hi, Athenis captis, cum in Acropolim se recepissent, per aliquot dies C. Scribonio Curioni, cui Sulla eam obsidionem mandaverat, restiterunt. Ipse Aristio ad triumphum Sullae servatus est. Ceterum fieri potest ut arcis expugnatio et proelium ad Chaeroneam in eundem diem inciderint, atque inde Pausaniae error originem duxerit (cf. Theod. Reinack: *Mithridate Eupator*, Paris, Didot 1890, p. 176). — *quinquaginta — vastabat*] Mithridates, qui in Asia novas copias comparare nunquam destiterat, post Chaeroneensem cladem alterum exercitum in Graeciam misit, duce Dorylao, fidissimo purpuratorum, qui exercitus, cui Archelaus praefuerat, reliquiis collectis, ex Euboea in Boeotiam transgressus est. — *quinquaginta*] septuaginta milia (cf. Klebs: *de scriptoribus aetatis Sullanae* Ber. 1876 p. 35) fuisse dicunt Eutropius (V, 6, 3) et Orosius (VI, 2, 6), octoginta Plutarchus (*Sull.* 20) et Appianus (*Mithr.* 49); numerus a Liciniano traditus (in codice perspicue legitur) probabilior videtur. — *quadrigas essedasque sept.*] a solo Liciniano hoc habemus. — *Archelaus decem milia — collegerat*] v. supra. — *primo die*] Narrat Licinianus proelium apud Orchomenum, quod, temporum ratione diligenter perspecta, autumno anni u. 668 factum esse videtur. Pontici et Romani acerrime pugnaverunt per duos dies, quorum priore Diogenes, Archelai privignus, trucidatus est. — *filius*] etiam ab Eutropio, Orosio, Appiano, Diogenes filius Archelai appellatur; sed apud Plutarchum (*Sull.* 21) Διογένης ὁ τῆς Ἀρχελάου γυναικὸς υἱός.

B. *amplius XXV milia — venierunt*] aliter Orosius, qui (l. m.) accurate dicit quot Asiaticorum in Orchomenio proelio perierint: *secundo proelio* (i. e. secundo totius belli, priore apud Orchomenum proelio) *quindecim milia ex his interfecta sunt* (ipse Orosius tradit Dorylaum LXX vel LXXX milia hominum in Graeciam duxisse et Archelaum praeterea X milia hominum collegisse)... *tertio bello* (i. e. proelio altero apud Orchomenum) *omnes copiae, quas Archelaus habebat exstinctae sunt. Nam viginti milia militum eius in paludem pulsa.... interfecta sunt, totidemque alia in flumen coacta et necata, reliqui miserrime passim trucidati sunt.* Verane sint necne quae Orosius narrat in medio relinquo: non adfirmaverim tamen haec ex Livio fluxisse. — *regii dilabuntur*] id aliunde non cognovimus; attamen referendum esse videtur ad ea quae gesta sunt in Thracia a consule Flacco, anno u. 668 exeunte (v. Reinach. o. m. p. 191-192), atque fortasse in Liciniani fonte post Orchomenium proelium locum obtinebant. Ineptum additamentum, ut recte Franck. (p. 257) iudicavit, in errorem induxit Mommsenum (o. m. II, p. 295), qui victoria apud Orchomenum parta id quoque effectum esse scripserit, ut et Philippi a Romanis occuparentur et Abdera a regiis vacua fieret. — *Aulide*] Plutarchus (*Sull.* 22) tradit Sullae et Archelao colloquium Delii fuisse (ἐπὶ θαλάττῃ συνῆλθον περὶ Δήλιον οὗ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνός ἐστιν). Si Reinachium (p. 205 adn. 2) probamus, qui statuit mense sextili anni 669 Dardani Mithridatem Sullam convenisse, hoc cum Archelao colloquium primis eiusdem anni mensibus accidisse censendum est (cf. Momm. o. m, II, p. 299).— *quibus — paruit*] loco non idoneo hoc dictum est. Mithridates enim solum aliquot mensibus post ab Archelao adductus est ut condiciones pacis a Sulla propositas acciperet. — *Fimbriae — timebat*] Fimbria, Flacco interfecto, praeerat exercitui quem Cinnani, re publica potiti, imperio Sullae abrogato, ad bellum Mithridaticum miserant. Is, eo tempore quo Sulla Archelaum Delii convenit, in Asia erat, ubi apud Miletopolim Mithridatem minorem fuderat atque fugaverat. — *ut mox ordine indicabo*] Videtur Licinianus monere voluisse lectorem se Flacci et Fimbriae expeditionem proximis paginis narraturum esse, quod re vera oblitus est facere. Ceterum v. *Riv. di Fil.* l. m. p. 281 adn. — *et timebat — et praedixerat*] Sulla prædicabat se, parta victoria, condiciones pacis non positurum esse graviores eis quas ante victoriam proposuisset (v. Momm. II, p. 229). — *Archelaus classem traderet*] Sulla postulabat ut a Mithridate sibi traderentur LXX illae naves quibus Archelaus praeesset (v. *Per.* Liv. 82, Sall. fr. IV, 20); praeterea ut classi Romanorum sociorum certus navium numerus (LXX si proxima pagina recte scripsit Licinianus) instructarum adiungeretur (v. Momm. l. m.). Cum Plutarchus (*Sull.* 22) tantummodo naves LXX traditas esse testetur, Memnon (92) LXXX, multa de hac, quam primo loco Licinianus affert ex condicionibus pacis, docti viri disputaverunt; sed v. Reinach. (l. m. p. 196 et 197).

LIB. XXXV.

Fol. II r., pag. 40-41 p., pag. 35 B.

A Paphlagonia decederet, item Gallograecis. Q. Oppium et M.' Aquilium legatos redderet, item ceteros omnis captivos, quorum non parvus numerus erat, dimitteret. In primis excepti Macedones, quorum fides insignis fuerat, ut uxores et liberi redderentur; praeterea naves LXX tectas instructas sociis daret, frumentum, vestem, stipendium ipse praestaret. His ipse Mithridates cum Sulla apud Dardanum compositis, gratia P. R. reconciliata, Ariobardianem ut servum respuit; reliqua classe in Pontum proficiscitur. ac dum de condicionibus disceptatur, Maedos et Dardanos, qui socios
B. ve | xabant, Hortensius legatus fugaverat. ipse Sulla exercitum in Maediam induxerat prius quam in Asiam ad conloquium transiret. quo Dardanos et Denseletas, caesis hostibus qui Macedoniam vexabant, in deditionem recepit.

Ephesi, causis cognitis, principes belli securibus necat, civitates pecunia multat, oppida impacata redigit in suam potestatem. Nicomedi regnum Bithyniae restituit . . . . comis et mansuetior . . . . quam . . . . foveret Romanis delatus . . . . invocaret fidem per nefas . . . .

A. *Paphlagonia*] cum Bithynia et Paphlagonia enumeranda erat etiam Cappadocia, quam ut Franck. suspicatur (p. 259), librarius omisit. — M.'] B., M cod. — *vestem*] M.; *eis et* (*et* etiam ante *frumentum*) B., sed non recte; *vestem* enim ad supplendum locum in cod. corruptum (FRUMENTUMFI SCI) optime quadrat, ut Livii loco (IX, 43) a Pertzio allato demonstratur: *tum trium mensium frumento imperato et annuo stipendio ac singulis in militem tunicis;* v. etiam Plut. (*Sull.* 25). — *his*] B.; *is* cod. — *apud*] M.; *QUI* cod. — *P. R.*] B.; E cod. — *reliqua*] cod.; *relicta M.* — *gratia P. R. reconciliata — proficiscitur*] sic recte, ut in textu exhibuimus,

levi transmutatione facta, locum restituit Linkerius (o. m. p. 688); B. cum codice scribunt: *his — compositis, reliqua classe [gratia P. R. reconciliata Ariobardianem ut servum respuit] in Pontum proficiscitur,* adnotantque: « *gratia — respuit* » *ab epitomatore male huc adscita seclusimus.* Non opportunum censet Schmidtius (p. 226) « *Ariobardianen — respuit* » quod constet eum cum Mithridate in gratiam rediisse, atque his verbis praeferret « *Ariobardiane in regnum restituto* » si modo id litteris codicis niti posset. — *ac*] *praestat* « *at* » B. in adn.

B. Pars exterior huius columnae avulsa est ita ut omnium fere versuum litterae una vel duae vel tres extremae desiderentur. p. — *legatus*] B.; (cod. RE . . . . .); *retro* M. qui totum locum *Hortensius — vexabant* ita emendari iussit . . . *Hortensius retro fugaverat, ipse Sulla exercitum in Maediam induxerat. Priusquam in Asiam ad conloquium transiret, Dardanos quoque et Denseletas ceterosque qui Macedoniam vexabant* . . . .; B. pro « *caesis hostibus* » scribunt in textu « *Scordiscosque* »; nos, auctore Bursiano (p. 650), lectionem cod. secuti sumus (v. etiam M. Flemisch l. m.). — *impacata* . . .] p. (INPACASR . . cod.); . . . B.; Keil. (p. 649) conicit « *intacta bello.* » — . . . .] Locus est corruptissimus, attamen cerni possunt litterae PAPHLA . ON . . .; minime igitur probanda videtur Bonnensium coniectura « *qui post est appellatus Philopator* », cum neque necessarium additamentum praebeat neque ulla cod. syllaba hic nitatur; idem dici potest de coniectura Keilii (p. 643) « *regique Ariobardiani Cappadociam* » Nos conicimus: « *cui est pars addita Paphlagoniae* » (cod. RUC . . . ESToPRELIA TIPAPHLA . ON . . .). — *mansuetior . . . quam* . . . .] Dubitari non potest hic de Nicomedis vita ante acta Licinianum loqui, sed in codice hic et proximi quinque versus (ultimi in columna) adeo mutilati et corrupti sunt ut de remedio plane desperes. Fortasse 18° et 19° versu praebebatur: *comis et mansuetior fuit quam pater, sed cum esset* . . . . . — *Romanis dela'us*] « *Romanis deditus* » coniciunt B.

A. *Rex — Gallograecis*] Hanc alteram condicionem a Sulla propositam ut pax fieri posset, apud ceteros scriptores invenimus (Plut. *Sull.* 22; App. *Mith.* 55; Memn. 35; Liv. *per.* 83; Flor. I, 40, 42); sed apud solum Licinianum deest Cappadocia, nominantur Gallograeci i. e. Galatiae incolae quorum tetrarchas Mithridates interfecerat (App. *Mithr.* 46). — *Q. Oppium M'. Aq.*] Q. Oppius vere anni u. 666, cum universa Asia ad bellum contra Romanos a Mithridate incitata esset, relicta Pamphilia, Laodiceam in urbem confugerat, sed Laodicenses paulo post captivum et catenis vinctum eum Mithridati tradiderant; peiore fortuna usus est Manius Aquilius (cons. 653, servorum seditionem anno 655 in Sicilia oppresserat) qui, eodem anno quo Oppius, a Mitylenaeis captus et Mithridati traditus, ut belli concitator, turpissime ab eo excruciatus mortem obiit (cf. App. *Mithr.* 21, 112, Plin. *H. N.* XXXIII, 14, 48; Cic. *de imp. Cn. Pomp.* 5, 11 etc.). Itaque nostro iure miramur quod Licinianus a Mithridate Sullam expetentem faciat Aquilium, cum verisimile non sit tunc Sullam, quod omnibus notissimum esset, ignorasse aut

ignorare simulavisse. Quomodo id explicari possit controversia est inter viros doctos: quorum Frauckenius propius ad verum accessisse videtur cum dicat (p. 253) Licinianum in errorem inductum Aquilium cum L. Cassio confudisse, quem a Mithridate redditum esse Appianus (l. m. 112) commemorat (cf. Dieckm. p. 76). — *in primis excepti*] = *diserte additi;* cf. Liv. XXI, 19 *sociis utrorumque exceptis.* Quod ad rem attinet, silent reliqui scriptores. — *fuerat*] cum enunciatum « *quorum — fuerat* » causam afferat qua Macedones excepti sint « *fuisset* » pro « *fuerat* » scribendum erat. — *tectas*] = *constratas*, quibus *apertae* naves opponuntur (v. Liv. 36, 43). — *apud Dardanum*] colloquium factum est ut monet Reinachius (o. m. p. 205 adn. 2), paucis mensibus post Deliacum, i. e. mense sextili anni 669. — *Ariobard. — respuit*] Cum Sulla Nicomedem et Ariobarzanem Mithridati Dardani reconciliare vellet, noluit Mithridates Ariobarzanem ad se admittere, ut servum, i. e. non ex regia stirpe natum, atque ea re δοῦλον, Asianarum gentium ratione (aliter Plut. *Sull.* 24); constabat enim Ariobarzani, clarissimo quidem viro, sed privato, Romanis faventibus, Cappadocum suffragiis aliquot annis ante regnum delatum esse. — *reliqua classe*] i. e. *navibus* quae, pacto numero Romanis tradito, regi supererant. Hoc loco praetereundum non est in enumerandis pacis condicionibus Licinianum omisisse sumptus belli, quos ut compensaret, Mithridates tria milia talentorum Romanis solvere debebat; praeterea, quod magni momenti est, veniam a Romanis datam omnibus civitatibus Asiae et Europae quae Mithridatis partes secutae essent (Plut. *Sull.* 22, App. *B. M.* 55, Memnon 35). — *dum — disceptatur*] Eo temporis spatio quod a Deliaco colloquio usque ad Dardaniense intercessit. —

B. *Maedos et Dardanos* etc] A ceteris scriptoribus sola Sullae expeditio in populos qui socios Romanorum vexaverant commemoratur (Plut. *Sull.* 23; App. *Mithr.* 55; Eutrop. V, 4, 7); apud neminem in hac re partes Hortensio adscribuntur; Licinianus diligentius qui ab Hortensio qui a Sulla subiecti sint distinguit (cf. Franck. p. 261). — *Maedos*] gens Maced. (de qua Thucyd. II, 98, 2; Plin. *H. N.* 14, 18; Strab. VII p. 316), quae prius pulsa ab Hortensio fuisse videtur, tum a Sulla subiecta. — *quo Dardanos — recepit*] Hostes erant non solum Dardani et Denseletae, sed etiam alii populi barbari qui ab armis discedere noluerant; his caesis, illi in deditionem recepti sunt. — *Denseletas*] Δενθελῆται gens Maced. Theod. Reinach (o. m. p. 202 adn. 2) monet Denseletas a Liciniano, qui solus eos nominat, per errorem allatos esse (cf. Cic. *in Pisonem* 34, 24). — *Nicomedi*] Nicomedes, tertius nomine, qui postea Philopator appellatus est, anno 666, a Ponticis copiis devictus, regnum amiserat.

LIB. XXXV.

Fol. II v., pag. 41-42 p., pag. 37 B.

A. invidiose exequebatur satis exercitus in priore fortuna. nam postquam Nicomedes Evergetes, qui est ita dictus quod beatos egentes faciebat multosque beneficiis suis alliciebat, non fuit uno isto filio contentus quem ex Aristonica legitimum procrearat, tollit ex concubina Hagne Cyzicena alterum Socraten nomine, illamque Cyzicum cum Socrate et quingentis talentis ablegat. Sene mortuo, incertum an veneno, Nicomedis filius succedit . . . . amissa matre, sororem patris ducit uxorem . . . .

B. . . . . post mortua est | morbo an dolo, Nysam Ariarathis Cappadocum regis filiam accepit. hanc Socrates ad bellum contra regem refert fratrem incitavisse. exceptus a rege magnifice Chrestus quasi meliore nomine ab eodem vocatus, Romam ad regnum ex petendum frustra profectus, Cyzicum redit: nam redire ad regem pudor prohibuerat. ibi, avaritia caedem suadente, occisa sorore, insequentibus Philopatore simul et Cyzicenis, Euboeam venit, ubi apud Cornelium quendam equitem Romanum devertitur. Satis benigne exceptus . . . . eius filio adulescenti . . . . scelera discere . . . .

A. Margo exterior huius columnae desideratur, neque tamen plus quam 1-3 litterae avulsae sunt. p. — *satis exercitus*] p. B.; desunt in cod. tres priores litterae voc. *satis*. Keilius conicit *artis exercitus* (cf. p. 49 *celeros omnis captivos*). Sane *exequebatur* sine accusativo maxime dubium est; sed cum sensum superiorum versuum plane ignoremus, hic nihil certi statuere licet. De Franckenii coniectura (p. 244): *quantam expertus in priore vita fortunam* v. comm. — *Nicomedes Evergetes*] sic locum corruptum B. optime emendaverunt. — *qui est ita dictus*] B.; nos *conicimus « merito dictus »* (ERITADICTUS cod.). — *beatos*] B.; — *multosque*] B.; *multisque* p. — *filio*] M. — *quem ex Aristonica*] M. — *Hagne Cyzicena*] sic recte Keilius (p. 648); cf.

Bentleium ad Hor *Sat.* I, 3, 40; *Hane Sicheana* p. B. (HALIESICHEANA cod.). — *alterum*] B.; *muliere* M.; Keil. proponit *genere* (.... RE cod.). — *illamque*] Keil. (ibid.); *mulieremque* B. *eamque* p. (...UMQ· cod.). —... EON-GLAoDIcTASUCCEDIT] cod.; *Nicomedis filius succedit* B., sententiam potius quam litteras codicis secuti; M. Flemisch in litteris LAoDIcTA legit *Laodicea.* — ....] locum in cod. insanabile (cf. Theod. Reinach. o. m. p. 173 adn. 3). — *amissa*] p.; ... B. — *mortua est*] M. (MORTUAS cod.). — Nos, si de re tam incerta coniecturam afferre licet, toto hoc loco corruptissimo (v. 16-24 A) aliquid huius modi contineri arbitramur: « *sene mortuo, incertum an veneno, [favente Laodice, Nicomedis filius] succedit. [ob] truncatis [propinquis quos sibi infestos putabat atque amissa] matre, sororem patris ducit uxorem [quam, patre etiam tum vivo, sibi desponderat. cum paulo post] mortua est* etc. —

B. *hanc Socrates — incitavisse*] Sic Franck. verba codicis « *ad regem fecit regem refert bellum contra fratrem incitavisse* » correxit; verba « *regem refert* » cum dittographia « *regem fecit* » alieno loco erant inserta. Nysa Ariarathis (VI?) Cappadocum regis, a Gordio Mithridatis iussu interfecti (Iust. XXXVIII, 1, 1) filia, ad bellum contra Mithridatem suscipiendum Nicomedem incitabat, ut criminabatur Socrates, Nicomedis frater. Bonnenses, deleta dittographia *regem fecit*, exhibent: *hanc Socrates ad regem refert bellum contra fratrem incitavisse* (v. comm.) — *exceptus*] p., B.; cod. corruptus. — ....] conicere possumus « *vim affert* » aut quid tale (.... AILI cod.) —

A. *in priore fortuna*] Cum de Nicomede in regnum restituto dixerit, Licinianus transit ad res Bithynicas enarrandas ultra mortem Nicomedis II rediens, i. e. ultra annum circiter 660. Huic digressioni, quae profecto minime exspectanda erat, occasio videtur esse oblata eis quae scriptor tetigerat de pristinis Nicomedis natura et moribus: quae cur postea mutaverint cum Licinianus explicare vellet, vitam eius ante actam describendam esse existimavit. Falso igitur Francken. verba codicis nimis audacter correcta (v. supra) refert ad Socratem. — *Evergetes*] Sic apud Licinianum appellatur Nicomedes II, Epiphanes in nummis (Ekhel, *D. N. V.* II, p. 444); sed hi non impediunt quominus Liciniano fidem habeamus. Non improbabile videtur Epiphanis cognomen potius tamquam appellationem (= *Augusti*) regis titulo quam nomini proprio additum esse, quia ἐπιφάνους in nummis semper ponitur post βασιλέως et ante Νικομήδους (cf. Franck. p. 260). — *uno isto filio*] etiam haec verba contra Franckenium demonstrant antea de Nicomede, non de Socrate, sermonem fuisse. — *Aristonica*] dicit Memnon (30) Nicomedem III filium Nysae, atque ita Nicomedi II Nysam dat uxorem; sed Nysam fuisse uxorem Nicomedis III cum Liciniano (v. supra) testatur Sall. (*Hist.* fr. IV, 209 Kritz.), unde efficitur ut aut pater et filius eiusdem nominis uxores habuerint, aut, quod praefero, vere retulerit Licinianus narrans

Nicomedis II uxorem fuisse Aristonicam (cf. Th. Reinach o. m. p. 112, adn. 3; sed de lectione cod. vix dubitari potest). Fuit haec saltatrix, ut contumeliose dicit Mithridates apud Iustinum (38, 5, 10), i. e. Graece ἑταίρα. — *Socraten nomine*] cf. Hor. *Epist. I,* 7, 55: *Vulteium, nomine Menam, praeconem* etc. De hoc Socrate mentio est apud Appianum (*Mithr.* 10; Memn. 30; Iust. 38, 5, 8); sed multa quae de Socrate a Liciniano hic narrantur alibi nusquam occurrunt (v. Reinach. o. m. p. 112 seq. 117). — *sene mortuo*] Nicomede II (v. supra). — *sororem patris*] Conicit Reinachius (o. m. p. 113 adn. 5) hanc fuisse Lysandram Prusiae II filiam, tunc sexaginta circiter annos natam mulierem.

B. *Nysam Ariar. r. f.*] v. supra. *Huius Nysae filius Nicomedes, qui si unquam regnasset, quartus fuisset eiusdem nominis, a Romanis expulsus regno est, quia pater illud testamento populo Romano dedisset* (cf. Sall. l. m.; App. *Mithr.* 7 in hac re errasse videtur). Franck. p. 259. V. Reinach. p. 318 et seqq. — *hanc — incitavisse*] Negat Dieckmannus (p. 26) hanc Franckenii coniecturam probandam esse, nam *quamvis concedas hoc fieri potuisse* (i. e. Nysam contra Mithridatem Nicomedem incitavisse), *tamen intellegi non potest quomodo « rex », per se, antea Nicomede tantum commemorato, significare possit « Mithridatem »*. Nos contra vix intellegimus quomodo « *fratrem* » in Bonnensium lectione significare possit « *Nicomedem* ». Etiam lectio Franckenii paulo quidem est impeditior, sed minus Bonnensi ambigua; adde quod rebus Bithynicis, quales illo tempore erant, melius respondit; denique conicere possumus post « *ad* » excidisse « *Mithridatem* », atque huius nominis in locum dittographiam illam irrepsisse. — *a rege*] i. e. Mithridate. — *Chrestus*] gr. Χρηστὸς; hoc cognomen ei fuisse testantur etiam Appianus (*Mithr.* 10), Memnon (30), Iustinus (38, 5, 8). — *Romam profectus*] ut conicere licet, impulsu Mithridatis, qui contra Nicomedem in Bithynia, contra Ariobarzanen in Cappadocia multa moliebatur (v. Momm. l. m. II. p. 279; Reinach. p. 115). Hoc factum esse videtur anno u. 663, paulo post Sullae ab Asia discessum. Res acta est in senatu (Memn. 30), ubi Hortensius causam Nicomedis defendit (Cic. *de orat.* III, 61, 229). — *redire ad regem*] i. e. ad Mithridatem, non ad Nicomedem, quem quominus adiret non pudor sed metus Socraten deterrere debuit. — *Philopatore*] Cognomen *Philopator* Nicomedi III fuisse constat ex Appiano (*Mithr.* 7) atque ex *Chron. Cap.* C. I. G. IV, 6855 d (v. Reinach. p. 113, adn. 4). — Liciniani narratio in codice mutilata nobis pervenit; quomodo Socrates Bithyniae regnum, auxilio Mithridatis, occupaverit, ac paulo post a Romanis expulsus, ipsius Mithridatis iussu interfectus sit (anno u. 664), proximis paginis nunc deperditis dictum esse existimamus.

LIB. XXXVI.

Fol. V r., pag. 42-43 p., pag. 39 B.

A . . . admonitus contendere refugit. et Pompeius annos natus XXV, eques Romanus, quod nemo antea, pro praetore ex Africa triumphavit IIII idus Martias. quidam memorant eum . . . . urbem ingredi . . . . elephantis ad currum iunctis . . . . et Murena ex Asia triumphavit, et Valerius Flaccus ex Celtiberia et Gallia, et Licinius et Terentius Luculli fratres aediles curules munere suo taurorum proelium adversus elephantos dede-
B. runt. id ante Claudius aedilis in circo lu¦dis circensibus exhibuerat.

Et Volaterrani se Romanis dediderunt ante occiso per seditionem lapidibus Carbone praetorio quem Sulla praefecerat. is Cn. Carbonis frater fuit, et proscriptos ex oppido dimiserat, quos equites a consulibus Claudio et Servilio missi conciderunt. iam antea, anno superiore, et Samnites qui Nolae erant idem fecerant metu obsidionis. Papiusque Mutilus inde fugiens, quom ne ab uxore quidem Bastia noctu Teani reciperetur, quod erat in proscriptorum numero, usus est pugionis auxilio.

Data erat et Sullae provincia Gallia Cisalpina . . . .

A. margo exterior avulsus est p. — . . .] LIS cod. quae litterae videntur extremae esse illius verbi quo pagina superior, nobis deperdita, terminabatur. — *quidam memorant eum]* B.; — . . . . *urbem ingredi* . . . . *elephantis ad currum iunctis]* B.; lacunas huius loci in codice mutilati et corrupti (versus 8-9), ita, Plutarchum (*Pomp.* 14) secuti, nos supplemus: *quidam memorant eum [cum ex Lybia multos secum elephantos duxisset] urbem ingredi [voluisse] elephantis [quattuor] ad currum iunctis.* — . . . .] B.; hoc loco (vers. 13-14) ubi *experirentur* solum legi potest, ipse scriba nonnulla omisisse videtur, quae, secundum Plutarchum (l. m.) huiusmodi fuisse censemus: *[sed cum angustiorem portam] experirentur [equi adhibiti sunt].* — *Licinius*] B.; *Lucius* p.; DUILIUS cod.

B. *is — dimiserat*] Langius (*Röm. Altert.* III, p. 160 et seqq.), qui legit *dimiserant*, collocat punctum post verba « *frater fuit* » (v. comm.). — *iam antea, anno superiore*] B. (qui cum codice scribunt *ante* pro *antea*) haec verba additamentum epitomatoris putant eis quae de Volaterris narrantur, atque ea de causa secludunt; sed facile intellegi potest « *iam antea* » connectenda esse eis quae sequuntur. Dieckmannus cum Franckenio « *anno superiore* » existimat glossema, quod verba « *iam ante anno superiore* » *inter se coniungi vel ars grammatica vetat.* Nos, levissimo emendamento facto, ea sanari posse censemus. — *Papiusque*] restituit p.; PAPIRIUSQUE cod. — *Bastia*] sic, ut est apud Liv. *per.* 89, scribo pro *Bassia* quod cod. exhibet atque acceptum est a p. et B. —

A. Desunt folia quibus res sex annorum 669-674 continebantur. — *Pompeius — triumphavit*] De anno quo Pompeius triumphavit ardua est quaestio et saepe a doctis viris huius temporis exagitata (v. Fischer *Röm. Zeittafeln*, p. 188; Drumann, *Gesch. Röm.* IV, p. 337; Lange, *Röm. Altert.* III, p. 169; Momm. *R. G.* vol. II p. 333; Linker. l. m. p. 637), cum veteres scriptores in statuenda Pompei triumphantis aetate inter se dissentiant. Apud enim Liv. (*per.* 89) legimus: *quattuor et viginti annos natus*, apud Eutropium (V, 9) *quartum et XX annum agens*, apud Pseud. Aur. Vict. (*de vir. ill.* 77) *viginti sex annos natus*. Cum certum sit Pompeium prid. Kal. oct. anno 648 natum esse (quid censendum sit de Bonnensium coniectura « *solus superiore ponit* » iam supra diximus) ex Liciniani loco colligi liceret eum IIII idus Martias a. u. 674 triumphasse (nam annos natus xxv recte dici non potuit nisi post diem ultimum septembris anni 673), nisi Romani scriptores saepe annum nondum perfectum ut plenum numerarent. Itaque ne Liciniani verba quidem per se aliquid comperti praeberent, nisi confirmarentur eis quae a Drumanno (l. m. I, 324-327) disputata sunt, unde, mea sententia, satis elucet, Pompeium anno 674 triumphavisse. — *IIII idus Martias*] triumphi diem solus Licinianius tradit. — *memorant — iunctis*] cf. Plut. (*Pomp.* 14); v. supra. — *Murena*] L. Licinius Murena, qui Sullae legatus in Asia fuerat (de quo v. Cicer. *pro Murena*) anno 672 triumphavisse videtur (v. Drumann IV, p. 185 adn. 89); Licinianus in commemorandis Pompei et Murenae triumphis temporum rationem more suo neglexit. — *Valerius Flaccus*] C. Valerius Flaccus in Gallia pro praetore fuit a. 670 (v. Cic. *pro Quinctio*); triumphus eius et victoria de Celtiberis ignorabantur. Wijnnius (l. m. p. 358) putat fieri potuisse ut Licinianus ex duobus Valeriis Flaccis, altero, anno 656 pro consule contra Celtiberos, altero 671 pro praetore in Gallia (v. Paul. *R. E.* VI, p. 2343 n. 35; ibid. p. 2344 n. 58) unum eundemque faceret. — *Licinius et Ter. Luculli*] Alterius praenomen *Lucius*, alterius vero *Marcus* (v. Paul. *R. E.* IV, p. 1070-1074). Hos aediles fuisse anno 675 non, ut B. adnotant, anno 674, accepimus ex Fenestella apud Plin. *Hist. N.*

VIII, 7, 19: *Romae pugnasse* (elephantos) *Fenestella tradit primum omnium in circo, Claudii Pulchri aedilitate curuli, M. Antonio A. Postumio coss. anno urbis 655; item post annos XX Lucullorum aedilitate curuli adversus tauros.* — *Claudius*] C. Claudius Pulcher a. 655 aedilitate curuli functus est; de ludis quos in circo instituit v. Fenestellam apud Plin. l. m.

B. *Volaterrani — conciderunt*] Mira obscuritate et neglegentia haec omnia dicta sunt a Liciniano qui, sive brevitatis male studiosus, sive male intellegens auctorem ex quo excerpebat, de Volaterranis hanc nescio magis falsam an ambiguam narrationem exhibuit. Cum Volaterrani Marianarum essent partium, nullo modo eis praeesse poterat dux a Sulla praepositus. Igitur aut, ut arbitratur Madvigius (o. m. p. 401), tam ineptus et bardus fuit scriptor, ut ex Mariano duce Sullanum faceret, aut, si quidem id quod scriberet intellexit, tam male scripsit, ut eius verba diversis modis interpretari possimus. Nos, re diligenter considerata, cum Dieckmanno (p. 82) existimamus rectius quam Franckenium (l. m. p. 253) et Langium (III, p. 160 et seqq.) facere Mommsenum (II, p. 331), qui primum enuntiatum ita intellegat, ut Carbonem Sullanum ducem qui obsidioni praeesset a suis militibus lapidibus occisum esse censeat (quam sententiam confirmat Val. Maximus IX, 7, 3), proxima autem verba Liciniani « *is — proscriptos — dimiserat* » Strabonem (V, 2), uti videtur, secutus, explicet: *Carbo ex pacto eos inviolatos abire passus erat: ea ipsa de causa milites occiderunt imperatorem nimis indulgentem.* — *Carbone praetorio*] Val. Max. (l. m.): *Ille quoque exercitus nefarie violentus* (exercitus Sullae), *qui C. Carbonem fratrem Carbonis ter consulis propter bella civilia dissolutam disciplinam militarem praefractius et rigidius astringere conatum, privavit vita; satiusque duxit maximo scelere coinquinari quam pravos ac tetros mores mutare.* — *Cn. Carbonis*] i. e. Cn. Papirii Carbonis cons. a. 669, 670, 672. — *Consulibus Claudio et Servilio*] Appius Claudius Pulcher et P. Servilius Vatia anno u. 675 consules fuerunt. — *iam ante — fecerant*] i. e. *se dediderant.* Etiam ex *per.* Liv. 89 Nolam non multo ante quam Volaterras se dedisse apparet. — *Papius Mutilus*] C. Papius Mutilus Italorum dux praeclarissimus, qui anno 664 ab Italis foederatis consul creatus est (v. App. *B. C.* I, 40, 42, 51). Exitus eius miserrimus fere eisdem verbis narratur apud Liv. (*per.* 89), ubi tamen oppidi Teani nomen deest. De Osco cognomine « *Mutilus* » eiusque cognatione cum Romano « *Metellus* » v. Merimée: *Essai sur la guerre sociale* p. 83 adn. I (Paris, Calman Levy 1876). — *Data erat et Sullae — Gallia Cisalpina*] v. Momm. o. m. II, p. 355, adn.

LIB. XXXVI.

Fol. V v., pag. 22 p., pag. 41 B.

. . . .
. . . .

A. B. Nihil in hac pagina, ubi pauca tantum integra verba hic illic cernuntur, Pertzius legere potuit.

LIB. XXXVI.

Fol. IIII r., pag. 44 p., pag. 43 B.

A. condi corpus iusserat, non comburi. sed L. Philippus cremandum potius censuit, ne idem Sullae eveniret quod C. Mario, cuius corpus milites inimici extractum monimento disiecerant. itaque iustitium fuit, matronaeque eum toto anno luxerunt. in campo Romae sepultus est amplissimo funere elatus magna populi frequentia. cuius rogo quom ignis esset inlatus, non mediocris imber est insecutus.

Sallusti opus nobis occurrit, sed nos, ut instituimus, moras et non urgentia omittemus. nam Sallustium non
B. ut historicum aiunt, sed ut oratorem legen|dum. nam et tempora reprehendit sua et delicta carpit et contiones inserit et dat in censum loca montes flumina et hoc genus alia, et culpat et comparat disserendo.

Verum ubi orare coeperant tribuni plebis consules uti tribuniciam potestatem restituerent, negavit prior Lepidus et in contione magna pars adsensast dicenti non esse utile restitui tribuniciam potestatem. et exstat oratio. et legem frumentariam nullo resistente adeptus est, ut annonae quinque modii populo darentur et alia multa pollicebatur: exules reducere, res gestas a Sulla

---

A. *condi*] suppl. p. (DI cod. in princ. col.[ae]). — *disiecerant*] B.; *disicerant* cod. — *nam — legendum*] De his verbis quae B. secludunt v. disp. n. in *Riv. di Fil.* l. m. p. 276. — *ut historicum aiunt*] hanc ex multis corrupto loco (HISTORICISUNT) propositis emendationibus, a ten Brink (*Philol.* XII, p. 590) accepimus, quia litteris traditis melius respondet; idem paulo post (*Philol.* XIII, p. 754): *Sallustium non ut historicum est sed* etc.; *scribunt* B.; *sentio* vel *scimus* Linkerius (p. 635); *puto* Madvigius (pag. 396 in adn.), Schmidtius (*Philol.* XIII, p. 226), Keilius, (*Jahrb. f. cl. Phil.* 77, p. 641), Franckenius (p. 246).

B. *et contiones inserit*] Linker., Madv., Keilius, Schmidtius, Franck. (cod. CONT .... INGERIT), cf. Iust. (37, 3, 11): « *contiones directas operi suo inserendo.* » *convitia ingerit* p. et B. cum Momms., sed non recte, nam litteris cod. et loci sententia « *contiones* » poscitur. — *dat in censum*] p. B. cum M.

(DATINCE.... cod.); *dat praecepta* Madvig. (l. m.), qui totum locum ita legere malit: *contiones inserit et dat praecepta et loca montes flumina et hoc genus alia explicat et comparat disserendo.* Franck. contra: *et adicit incerta, loca montes flumina, et hoc genus amat et culpat et confutat disserendo.* — *et hoc genus alia*] B.; *amovenda* p. et Lincker.; *amoena* Keil. et Dieckm. — *culpat*] p. et B. cum M.; *culta* (CULTAE cod.); *culte comparat*, omisso insequenti « *et* » Jordan (*Herm.* VI, p. 210 a Dieckmanno laud. p. 6 adn.). Franckenio « *comparat disserendo* » non videtur probandum: *hic*, inquit, *in malam partem aliquid dictum fuerit necesse est; comparatio autem, nisi quis disserat non potest recte institui, sed hoc reprehendebat quod Sallustius in Catil. et alibi per digressiones elevaret aut deprimeret civium mores et in principes homines evectus medium excederet.* At aliter nobis verba « *comparat disserendo* » interpretanda esse censemus, quorum in locum nihil in malam partem dictum exspectari potest. Licinianus enim de iis tantum cogitat quae « *non urgentia* » vocat, quibusque Sallustius indulget etiam cum in rebus enarrandis (disserendo) vel tempora vel mores vel homines inter se comparat, ut in *Catil.* (54) Caesarem et Catonem. Ceterum hoc loco legere malim « *et hoc genus alia et COLIT et comparat disserendo.* » — *ubi*] suppl. B.; *indico* M. — *orare coeperant*] Madv. (l. m. p. 396 in adn.) qui conicit etiam *cogere coeperant* (..... COGENERA cod.); *verum tunc oraverant* Keil. (p. 642), cf. p. 36: « *ut patriae subveniret oraverant* »; *convenerant* B. — *tribuni plebis*] cum M. p. et B. — *Lepidus*] p. et B. (IEPIS.... cod.) v. comm. — *adsensast*] M. correxit (cod. ADSENTAST). — *dicenti*] p. (... TI cod.) — *et exstat oratio*] B., qui adn.: *epitomatoris verba, ut videtur, non Grani;* v. comm. — *et legem*] « *et* » B. addiderunt. — *adeptus*] M.; ...... B. — *pollicebatur*] correxit M. (.... EICEBATUR cod.). — Huius columnae margo exterior avulsus est p.

A. *condi corpus*] Cicero (*de leg.* II, 22), cum quo consentit Plinius (*N. H.* VII, 55), ipsum Sullam corpus suum comburi voluisse testatur: .... *redditur terrae corpus — gentemque Corneliam usque ad memoriam nostram hac sepultura scimus esse usam. C. Marii sitas reliquias apud Anienem dissipari iussit Sulla victor. Quod haud scio an timens ne suo corpori possit accidere, primus e patriciis Corneliis igni voluit cremari.* Sed de hac re fortasse maior fides debetur Liciniano quam Ciceroni, ex quo Plinius hausit, cum addat L. Philippum fuisse qui corpus Sullae cremandum potius censeret, ne idem ei eveniret quod Mario. *Sulla enim non is erat qui statum a se creatum tam debile putaret ac rebus praesentibus tam paulum confideret, ut divinaret suis ossibus similem sortem imminere atque Marii* (Dieckmann. p. 85); Philippum contra periculum praesensisse atque ea auctoritate qua tunc in senatu valebat (Cicer.. *Brut.* 47. 173; Sall. *Hist.* fr. 1, 55), tale quid suasisse satis probabile est. Addatur quod Appianus (*B. C.* 106) et Plutarchus (*Sull.* 38), qui accurate de funere tradunt, omnino ignorare videntur Sullam ipsum corpus suum cremari iussisse. Licinianum autem aut eius auctorem, ipsis verbis « *condi non comburi* », credere possumus vulgatam famam cognovisse atque eam refellere voluisse. — *L. Philippus*] L. Marcius Phi-

lippus cons. a. 668 senex a Marianis partibus ad Sullanas transgressus est. Vir acer, violentus, luxuriosus, sed rei publicae peritus et eximius orator fuit (de eo v. Cicer. *de off.* I, 30, II, 21; *de orat.* I, 7, 1, III, 3, 4; *Brut.* I, 166 etc.; Horat. *Epist.* I, 7, 46). — *milites inimici*] Apud Ciceronem (l. m.) « *Sulla victor* ». — *iustitium — luxerunt*] Haec nova. — *iustitium*] iuris dicendi intermissio quae fieri solebat in publico luctu et reipublicae calamitatibus. — *luxerunt*] verum sit necne *matronas toto anno luxisse* eum cuius crudelitate multae filios virosque amiserant, dubitari potest; omnino negat Franckenius (p. 261). — *in campo — frequentia*] cf. Liv. *per.* 90: *Sulla decessit honosque ei a senatu habitus est ut in Campo Martio sepeliretur.* De hoc funere copiose tradunt Appianus et Plutarchus (l. m.). — *cuius rogo — est insecutus*] Plut. (l. m.) τοῦ πυρὸς ἀπιόντος ἐγχυθῆναι πολὺν ὄμβρον καὶ κατασχεῖν ἄχρι νυκτός. — *Sallustii opus — disserendo*] de toto hoc loco v. *Riv. di Fil.* l. m. p. 276 et seq. — *Sallustii opus*] i. e. Historiarum libri quinque ab anno 676 (M. Lepido Q. Catulo coss.) usque ad annum 687, quibus, quod ad materiam attinet, Sisennae narratio continuabatur. Quo tempore hi libri editi sint incertum est, sed procul dubio post *Catilinae coniurationem et Bellum Iugurthinum,* anno fortasse 714 u. c. De huius operis epitome ac de reliquiis v. Teuffel-Schwabe. *Gesch. R. L. I. B.* § 205, 4. — *moras et non urgentia*] i. e. orationes, descriptiones, epistolas, de vita hominum et moribus disputationes, omnia denique quae continentem rerum narrationem impediunt atque interrumpunt. — *nam — legendum*] Qua aetate et a quibus hominibus hoc de Sallustio iudicium fieri posset diximus in *Riv. di Fil.* l. m.

B. *tempora rep. sua*] ut in libro de Catilinae coniuratione. — *hoc genus*] v. Madv. Gramm. L. § 238. — *dat in censum*] Si quidem Licinianus sic scripsit, quod non adfirmaverim, est ἅπαξ εἰρόμενον; apud Liv. (39, 44) « *referre in censum* » est, sed non translate usurpatum. — *Verum ubi — coeperant*] Vix Sullae funus celebratum erat cum tribuni plebis a consulibus (M. Aemilio Lepido et Q. Lutatio Catulo) expetunt ut tribunicia potestas a Sulla deminuta in pristinum statum restituatur. Sed id tale erat, ut ne Lepido quidem placeret, quamvis popularium partium studiosissimo, quod tribuniciam potestatem, qualis fuerat ante Sullanam victoriam, qui rem publicam regebant, cuiusvis partis essent, sibi formidolosam existimabant (cfr. Sall. *Hist.* 3, 61, 12 Dietsch). Non recte igitur Franck. (p. 247), Linckerius (p. 638) etc. (Dieckmannus, nescio quomodo, totum hunc locum neglexit) Licinianum exprobrant quod Lepidum post mortem Sullae quasi optimatium causae propugnatorem effinxerit. *Negavit Lepidus* (ita verba Liciniani intellegenda sunt) *utilem esse restitui tribuniciam potestatem, sed et legem frumentariam adeptus est et multa alia pollicitus* etc. (v. Lange *R. Alt. III.* § 147) — *Lepidus*] M. Aemilius Lepidus ex optimatium partibus ad populares transierat ne de re-

petundis accusaretur cum Siciliam diripuisset (Cic. *Verr.* II. 3, 91, 212); cum Sulla dictatura se abdicavisset (675), adiuvante Pompeio (Plut. *Sull.* 341, *Pomp.* 15; Dion. Cass. 550, 551 fr.), consul creatus est in annum 676, ac statim, etiam tum Sulla vivo, « *turbidis contionibus* » plebem ad seditionem concitare coepit. — *tribuniciam potestatem*] quam Sulla non sustulerat, sed imminuerat (v. Momm. o. m. v. II, p. 251). *exstat oratio*] perperam Bonnenses edd. haec verba secluserunt, non Grani, sed epitomatoris ea esse arbitrati. Oratio enim Lepidi, de qua hic agitur, cum esse non potest ea quae nobis ex *Historiis* Sallustii exstat, quaeque habita est etiam tum Sulla vivo, anno 676 ineunte, tum nihil impedit quominus existimemus alteram fuisse quam Licinianus noverit exstare sive in ipsis Sallustii integris historiis sive apud quamvis alium rerum scriptorem. — *legem frumentariam — pollicebatur*] Ex Lepidi rogationibus, quae, Catulo resistente, legitime promulgari non poterant, frumentaria tantum, ne Catulo quidem resistente, lex facta est; (de hac frumentaria lege disputat Mommsenus, o. m. v. III, p. 25 adn.).

LIB. XXXVI.

Fol. IIII v., pag. 44-45 p, pag. 45 B.

A. rescindere, in quorum agros milites deduxerat restituere. Faesulani inruperunt in castella veteranorum Sullanorum et, compluribus occisis, agros suos receperunt, et se senatu defendebant............... et consules dato............ in Etruriam profecti sunt......... .... sed quom arma eodem comportarentur... .... neque segnior Catulus..............

B. preces senatus coniunxit | execrationibus maximis ne ulla ultro arma moverent unquam................. .... nam erat natura turbulentus et inquietus... .... pecuniamque in aerarium...............

Quae in hac pagina, incredibili modo depravata, a B. legi aut emendari potuerunt, exhibemus.

A. Huius columnae margo exterior avulsus est p. — *rescindere*] suppl. p. — *agros*] B.; *agrum* p.; AcRI cod. — *milites*] p. proposuit in adnot.; (.. cIsS cod.). — *restituere*] B.; (SA . FUERE cod.). — *inruperunt*] B.; *in*.... ... p. — *in*] B.; (IO cod.). — *veteranorum Sull.*] B.; ... NORUMSULLANOS cod. — *et compluribus*] B.; *possessoribus* p. codex corruptus et mutilatus. — *suos*] B.; (... OS cod.). — *receperunt*] B.; cod. perspicue « *reddiderunt* » exhibet. — *dato* ....] B.; fortasse « *dato exercitu* » — ....] In cod. est SCITUMUERS ... DeNDVSINSONTES ... B [PR] AESENTESRENU .....; p. adnotat: *litteras* PR *supplevi* (*PRaesentes*); *pater vero qui nonnullas huius paginae voces et legit et descripsit h. l. distinxisse se affirmat has*: NOCENTES; *quas equidem certe non vidi.* Nihil probabile h. l. conici potest nisi fortasse *insontes nocentes* ... *renuntiarent.* — *sed quom arma*] B.; *hanc lineam pater sic legit:* [SAC] ERDOTIO MAR [TIS] p. — *Catulus*] con. B.; (CA .... S cod). — ... .] his punctis respondent quinque columnae versus (19-23) adeo corrupti ut nullum sensum praebeant. Post « *Catulus* » enim est lacuna octo litterarum et deinde: *ubi* ... *quis* ... *eretur* (*videretur ?*) *contingere* ... *ntem secundum* (*momentum secundum ?*) ... *set lacum summo* ... *esomisitiincertaet*, ubi non solum prave scripsisse amanuensis videtur, sed verba et integros versus plane omisisse. — *preces*] B.; ... ES cod. — *coniunxit*] B.; *concessit* cod.

B. *ne ulla*] B.; *nulla* cod. — *ultro*] B.; *ultra* cod. — *moverent*] B.; *movere* cod. — ....] versus 3-11, ubi tamen legi potest statim post « *mo-*

verunt unquam » (v. 3-6) « *iam urbi cum adesse* ...... *das* (*adesset Lepidus?*) *legatum suum pra. miss* » ...... (*legatum suum praemissum?*). — *nam erat*] in extremo versu undecimo. — *turbulentus*] B.; IUNi UsiNTUS cod. — *inquietus* p. — ....] vers. 13-15. — *pecuniamque in aerarium*] B. (vers. 16). — .. ..] vers. 17-24, ubi haec tantum leguntur: *sacerdotes* (v. 17), *ut ratus e* (*ut ratus est?*) (v. 18), *dignitatem iterum* (v. 19). —

A. *rescindere*] cf. Liv. *per.* 90: *M. Lepidus cum acta Sullae temptaret rescindere.* — *restituere*] cf. App. (*B. C.* I, 107) Λέπιδος καὶ τοὺς Ἰταλικοὺς προσποιούμενος ἔλεγεν ὅτι τὴν γῆν αὐτοῖς, ἣν ὁ Σύλλας ἀφῄρετο, ἀποδώσει. Sulla enim viginti septem legiones in agros captos deduxerat et eos his diviserat (cf. Liv. *per.* 89: App. *B. C.* I, 96, 100). — *Faesulani inruperunt*]. Haec, quae procul dubio copiose narrata erant apud Sallustium (*Hist.* I), nos habemus a solo Liciniano. Faesulanoram seditionis autem conscium Lepidum fuisse eique favisse colligere possumus etiam ex Philippi oratione apud Sallustium (*Hist. fr.* I, 48, 4 Dietsch.). — *in Etruriam profecti sunt*] Senatus, etsi non ignorabat Lepidi consilia, tamen ne novum bellum civile inter duos consules statim concitaretur, ambo, decretis exercitibus (v. Sall. *Hist.* I, fr. 44 Dietsch.: *uti Lepidus et Catulus decretis exercitibus maturrime proficiscerentur*), in Etruriam misit, ut seditionem Faesulanorum sedarent. Huc referenda sunt etiam verba Philippi apud Sall. (I, 48, 1): *ob seditionem provinciam cum exercitu adeptus est* (Lepidus); v. Momm. l. m. v. III, p. 26 et seq.).

B. *preces senatus — moverent unquam*] cf. App. (l. m.) ἄμφω [ὑπάτους] μὲν οὖν ἡ βουλὴ δείσασα ὥρκωσε μὴ πολέμῳ διακριθῆναι. Quo iureiurando utrum consules ante eorum discessum a senatu obstricti sint, ut patet ex Appiano, an cum iam in Etruria fuerint, ut ex Liciniani loco colligitur, difficile est diiudicare; satis enim constat quam parva fide Licinianus dignus sit cum de ratione temporum agatur. — Reliquis huius columnae versibus Licinianus, uti videtur, narrare pergebat seditionem Lepidi, qui anno 677 haud procul a Campo Martio a Catulo victus et cedere coactus, traiecit in Sardiniam ubi paulo post tabe consumptus est (cf. App. l. m.).

INDEX.